Ipse qui præest, non se existimet, potestate dominante, sed charitate, felicem: honorem coram subditis prælatus, timore coram Deo eorum pedibus substractus. August.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F. de Grado ſculp. Neap.



Digitized by Google

CONSTITVTIONES CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM.



ROMÆ, Typis Angeli Bernabò. 1678.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur:

Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ord. Prædicat.

ALOYSIVS VAZQVEZ

CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM PRÆPOSITVS GENERALIS

omnibus noſtræ Religionis alumnis

Salutem.

EA eſt humanarum rerum conditio, Venerabiles Religioſi, vt etiam quæ optimè fundata, & vigili ſunt firmata prudentia, niſi dexteritate ſumma, ac ſolertia pari gubernentur, facile à perfectione declinent; & cum in ijs vel minima negligentia, hominum imbecillitate, irrepſerit, temporum vetuſtate, mutationi non leuiter fiunt obnoxia: id procul dubio eueniſſe conſpeximus in noſtri ordinis conſtitutionibus, quas hucuſque manuſcriptas, longa annorum ſerie, a primis exemplaribus recedentes, probauimus non concordes, & per manus traditæ exſcribendo mendoſæ apparuerunt. Cui ſane vniuerſæ Religionis incommodo, iam nimis latè progredienti capitulum generale XIX. congruis remedijs volens obuiare ſeſſ. 4. decreto 5. ſtatuit, & mandauit, vt huiuſmodi

noſtræ

noſtræ vniuerſales leges quamprimum ad concordiam redactæ, & ſuis originalibus vniformes, peritorum hominum ex noſtris induſtria, ac diligentia, communi bono imprimerentur. En igitur prodeunt è prælo in lucem, quales auctæ, emendatæ, ſeu correctæ, & approbatæ fuerunt à S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, & à S. Sede Apoſtolica confirmatæ, totius Religionis commodo, & ſingulorum ferè omnium vtilitati; additis notis decretorum capitulorum generalium in marginibus; quibus ea, quæ in eiſdem conſtitutionibus continentur, vel declarata ſunt; vel, ſic poſtulantibus Religionis indigentijs, poſt longam, & maturam diſcuſſionem, communibus votis, pro conceſſa ab ipſis conſtitutionibus facultate, fuerunt immutata. Faxit ergo Diuina Bonitas vt vnuſquiſque veſtrum, eas tum præ manibus, tum in corde ſic habeat, vt de die in diem in earumdem obſeruantia proficiat, & erga matrem ſuam Religionem non ſimplici voluntatis affectu, ſed regularis quoque diſciplinæ erga ſeipsũ zelo, ac filiali pietate afficiatur; & ardẽti animi ſtudio, quæ ſui muneris partes ſunt, laudabiliter compleat. Valete, &, mei memores in orationibus veſtris, pro Religionis incremento largitorem bonorum omnium Deum humilibus precibus exorate. Dat. Romæ in ædibus communis noſtræ reſidentiæ Sancti Laurentij in Lucina die 30. Nouembris Anno Domini 1677.

CON-

CONSTITVTIONVM CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM

PARS PRIMA.

De fine, & instituto noſtræ Religionis, ac de omnibus ijs, quæ vt media præſcribuntur.

CONGRVA conſtitutionum ratio, qua Regularium dirigitur vita, moreſque formantur, primario quidem à finis deſignatione, mediorumque præſcriptione initium ſumere debet, vt ſic non quaſi in incertum, nullo propoſito ſigno, ſed velut ad deſtinatã metam, apta mediorum directione, ab omnibus ſemper ſtrenuè contendatur: proinde meritò nobis prima hæc pars præmittenda erit, in qua & finis deſtinetur, & ad illum opportuna media præſcribantur.

CAPVT PRIMVM.

De fine, & inſtituto, ad quod noſtra Religio deſtinatur.

1. VNiuerſalis Religionum omnium finis, quem ſibi communiter iure deſignant, non alius ſanè conſpicitur eſſe, quam charitatis perfectio, conſiliorum pręcipuè, non pręceptorum dumtaxat, obſeruatione completa. Præter quem omnibus communem, peculiarem alterum vnaquæque ſibi finem conſtituit, quale nimirum eſt vel vitæ contemplatiuæ, vel actiuæ, vel mixtæ inſtitutum.

2. Proinde noſtra Religio vniuerſalem illum, qui in charitatis perfectione conſiſtit, finem amplectens, hunc alium, vt ſibi proprium, diuino edocta ſpiritu, deſignat, vitæ ſcilicet mixtæ, ſeu contemplationis, & actionis inſtitutum, per quod charitatis amplitudini deſeruiens, non propriæ tantùm, ſed & proximorum ſaluti vbique locorum ſe addicere, Domino adiuuante, intendit.

3. Sic autem deſignato fine, noſtris omnibus incumbet animi intentionem ea firmitate ad illum dirigere, vt nil aliud inſpiciendum eis, vel inquirendum occurrat. Illius ergo adipiſcendi deſiderio ferueant; nec vlla prætereat dies, qua ſingulari ſtudio ad eum cogitationes non dirigant, perpendant hanc ipſorum eſſe vocationem, nec ad aliud, calcatis mundi illecebris, vnius moris cohabitare in domo Dei, quam vt huius inſtituti cæleſte negotium, tota virtute, abſoluere poſſint.

CAPVT II.

De mediorum varietate in vniuerſum, quibus noſtra Religio ad prædictum finem ſe dirigit.

1. AD iam propoſitum ſibi finem diuina gratia ſe dirigens noſtra religio, velut apta media aſſumenda præſcribit paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ac dignitatis extra religionem non procurandi, quatuor ſolemnia vota: contem-

templationis item, & actionis exercitia, ac cæteros regularis diſciplinæ actus, & ſtudia literarum; hiſque omnibus ad prædictum finem vitam ordinare intendit, Deo dicatam, eiuſque vices agenti ſuperiori, qui diligendus erit, ſubiectam, propriæque & proximorum ſaluti addictam.

2. Sed verò quæ magis in particulari ſic præſcribuntur, vt media ad finem, ea quidem omnia congruenti ordine diſpoſita, ad hæc genera reducenda cenſuimus, quorum

Primum ſolemnia vota continet, quæ quidem ſpectant ad Religionis eſſentiam.

Secundum contemplationis exercitia, & alios actus, quibus immediatè ad Deum dirigimur.

Tertium ea omnia, quibus immediatè ad nos ipſos ordinamur.

Quartum ea, quæ erga Superiores, Religionem, & eius ſtatuta ſunt gerenda.

Quintum actionis exercitia, & alia, quæ ad noſtram erga proximos directionem attinent.

Sextum denique varia literarum ſtudia, & exercitia.

3. Porro cuiuſcumque ſtudium eſſe debet hæc omnia ſic vehementi animi propenſione arripere, vt non alia potiora media ſibi ſuppetere verè credat; ijs ergo inhæreat: proinde verò magnanimo corde, Sanctorum exemplo, ad altiora ſemper, & vlteriora quiſque contendens, plura, quàm quæ Religio parat, præſtare nitatur. Etſi enim quibuſdam legum limitibus Regularium ſtatus contineatur, perfectionis tamen limites vrgens Chriſti charitas non agnoſcit. Sed iam de ſingulis mediorũ generibus ſingillatim per ſequentia capita agamus.

CAPVT III.

De primo mediorum genere, quod ſolemnia vota complectitur in vniuerſum.

1. VT inſtituti perfectionem, ad quam vocati contendimus, remotis impedimentis, facilè pertingamus, ſolemnia vota primo nobis loco ſe offerunt, in quibus tota conſiſtit religionis eſſentia, quibuſque regulares viri præcipua ratione Diuino Numini ſe profitentur addictos.

2. Proinde quæ à noſtris omnibus ad clericalem ſtatum vocatis emittentur, quatuor erunt, paupertatis primum, caſtitatis ſecundum, obedientiæ tertium, & quartum denique votum non ambiendi per extrinſecos actus dignitates, vel prælationes extra Religionem.

3. Quæquidem omnia, probationis tempore elapſo, cum ad profeſſionem quis clericus admittetur, ſolemni ritu nuncupare debebit, & nuncupationis formula talis erit: Ego N. N. natione N. Diœceſis N. profiteor coram Domino, & vniuerſa Curia Cæleſti, & coram te N. huius domus Superiore, ac omnibus circumſtantibus, & promitto Omnipotenti Deo, B. Mariæ ſemper Virgini, Venerabili Religioni Clericorum Regularium Minorum, ac Admodum R. Patri N. N. Præpoſito Generali eiuſdem Religionis, eiuſque ſucceſſoribus legitimè intrantibus, perpetuam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; inſuper promitto numquam me curaturum, vel prætenſurũ ſiue per me, ſiue per alium, extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec conſenſurum in mei electionem, niſi coactus obedientia Summi Pontificis. In Ciuitate N. die N. Menſis N. Anni N. in Eccleſia N. eiuſdem Ciuitatis.

4. Cæterum fratres laici cum fuerint ſuo tempore ad ſolemnem profeſſionem admittẽdi, tria tantùm ſolemnia vota emittent, cuius quidem emiſſionis formula, communi idiomate ab eis proferenda, eadem prorſus erit, quæ modo pro clericis eſt præſcripta, quarto dumtaxat voto prætermiſſo, quod eorum ſanè ſtatui non aptatur.

5. Illud præterea ſingulis noſtris profeſſis tam ſacerdotibus, quàm clericis, & laicis iniungitur, vt ex antiquo, & commendabili ritu noſtræ Religionis, quotannis in vigilia Epiphaniæ, quæ emiſerint vota, iterum renouare, & nuncupare teneantur, ea ratione, & ritu, qui in libello de noſtris ritibus habetur.

d. 18. c. g. 19. 1 6. Verùm ipſo renouationis die ſic ſe deuotè diſponere quiſque nitatur, vt exercitijs dumtaxat ſpiritualibus recollectus, incumbat. Ideòque ſilentium ſeriò hac die indicatur, diſtractionis occaſiones præcidantur, extra domum egreſſus, quoad eius fieri poterit, caueatur; quæcumque corporis, etiam conſueta recreatio ceſſet, quicumque deuitetur congreſſus, vt ſic, deuotionis igne ſuccenſi, medullata offeramus Domino holocauſta, reddamúſque vota, quæ diſtinxerunt noſtra labia à principio.

7. Poſtremò laudabiliter, & piè ſe quiſque gereret, ſi nouo

ſem-

ſemper ſpiritu,quotidiana votorum renouatione,priuatim ſe Domino in holocauſtum offerret.

CAPVT IV.

De paupertate, quæ primum eſt votum.

1. REligioſa paupertas, quæ parens quædam eſt, generatiòque virtutum eo cordis affectu à noſtris omnibus amplectenda erit, vt verè pateat ipſam in terris cæleſtem nobis eſſe diuitiarum theſaurum.

2. Quare ex inſtituti ratione communia nobis erunt omnia, ita vt in communi, & de communi viuamus; & idcirco nemini ex noſtris proprium aliquid habere, aut etiam appellare licebit, quin potiùs meum, & tuum eliminantes, communi vocabulo quìſque in loquendo ſignificet ſe nihil in hac vita proprium poſſidere.

3. Proinde nemo ſit ſiue profeſſus, ſiue nouitius, qui per ſe procuret, vel per alium, vt ſibi, quoad vixerit, ſiue in certum tempus annui redditus, cenſúſue, aut certa aliqua pecunia ſibi à quoquam, ſiue propinquo, ſiue extraneo, ſiue teſtamento, ſiue donatione, ſiue quouis alio titulo, modòue relinquatur.

4. Nouitijs inſuper profeſſionem emittentibus omnino interdicimus, vt annuos redditus ſibimet nominatim, aut illi domui, vbi pro tempore habitauerint, vllo vnquam modo, ſiue ratione relinquant.

5. Iam verò quæcumque bona ſiue mobilia, ſiue immobilia cuiuſcumque generis, & qualitatis fuerint, pecunia, prouentus, cenſus ad aliquem ex noſtris Religioſis peruenerint, eleemoſyna, donatione, teſtamento, legato, quouis alio hæreditario titulo, vel qualibet hominis, aut iuris diſpoſitione, ſiue quocumque nomine, cauſa, ac titulo acquiſita, ea omnia omnino ſtatim communia eſſe intelligantur, & ad Superiorem ſyncera fide deferantur, nec vllo vnquam tempore, vel caſu ius aliquod proprietatis, vel vſus acquirere ſibimet aliquis poſſit, ſed omne bonorum ius communitatis erit.

Retinere pecuniam apud ſe ad tres dies cōceditur in regulis communibus c. 3. n. 2.

6. Adhæc nemo ſit, qui nouam veſtem, aut omnino nouum aliquid, cuiuſcumque generis fuerit, ſiue vtendum accipiat, ſiue

apud

d.56. R. apud ſe habeat, niſi Superior viderit, probauerit, benedictionem
n.1. impertierit. Sed verò quorum vſus ipſis à Superiore conceditur, ſciant de ijs nullo modo ſe diſponere poſſe, & propterea alicui
d.52. R. extraneo, ne dentur, vel commodentur, ſine Superioris licentia.
n.1. & 2. Cæterùm paratiſſimi ſint ad ſimplicem Superioris vocē, vel nutū, quæcumque vtenda acceperint, relinquere. Sed & quamdiu illis vtuntur, nullo modo, tamquam proprijs, vtantur; imò proprietatis quamlibet notam, vel vmbram deuitantes, cauendum cuìque, ne, quod vſui accipit, peculiari, aliquo ſigno, vel proprio nomine communire præſumat.

7. Horologia è rotis fabrefacta, cuiuſcunque metalli fuerint,
d.56. R. nemini priuatim habere liceat, neque etiam priuatim aureas, aut
n.2. & 3. argenteas Reliquiarum, Sacrarumque rerum capſulas, aut libros auro, argento, aut inſignijs familiæ ornatos, neque pictas imagines niſi parui pretij cartaceas; ſculptas verò, aut cælatas icunculas nemo habeat, niſi parui pretij, eaſque Localis Superior conceſſerit: neque item armaria, tabuláſue, & oratoria ex eo ligno confecta, quod habita locorum, & regionum ratione in magno pretio habetur: quæ verò vulgo ſcriptoria nuncupantur ex quocumque ligno fiant, nobis prohibita eſſe intelligantur: denique curioſa ornamenta in cellis, in tabulis, oratorijs, & in huiuſmodi alijs, quæ priuato cuiuſque vſui tribuuntur, omnino vitanda eſſe decernimus.

8. Sed & cubicula ſingulorum, eorùmque ſupellex non alia re, quàm paupertate niteſcant, nihil ibi quod materia, vel
d. 56. R. artificio ſit pretioſum, nihil quod à pauperum ſtatu abhorreat,
n.2. & 3. habeatur; nihil etiam eſculenti, aut poculenti niſi tantùm ratione infirmitatis, & de licentia Superioris, dummodò in magna quantitate non ſit, ibidem retinere licebit: proinde nudi parietes, lecti ſimplices, ſine ornatu, ſine conopeo, aut vlla re conſimili, cum vnica culcitra, & vnico ad ſummum duobus puluinaribus, nec niſi laneis, & craſſioribus inſtragulis vtemur, linteaminibus tamen è lino confectis, textile verò è lino ſiue ex goſſipio ſtragulum nemini, præterquam infirmis, concedatur: denique quatuòr in latitudine palmos lectuli non excedant, habeatur tamen male habentium, & infirmorum ratio, quibus latior lectus concedetur. Cæterùm in cubicula, cellaſque priuatas induci foculos, aut ignem in ijs fieri non permittatur, ſat erit communis focus, quem ſtatis horis accendendum cuilibet licebit adire. Habeatur verò ratio ſenum, debilium, & huiuſmodi comoditate

in-

indigentium ad quorum cellulas foculus deferri poterit.

9. Vt autem ritè in cellis cuſtodita paupertas in nullo violari à quoquam poſſit, Superiores bis, aut ter in anno, & quoties inſuper neceſſarium duxerint, viſitent cubicula ſingulorum, & quæ forſan in eis à paupertatis propoſito diſſona repererint, nullo modo diſſimulando permittant. Vt autem facilè ſit Superioribus ipſis cellam, vel capſam quamlibet reſerare, ac viſitare, decernimus, vt ad fores ſingularum cellarum obſerandas varium quidem ab omnibus adhibeatur clauis, & ſeræ genus, ſit tamen in ſingulis domibus adulterina clauis vnica, quam ſoli Præpoſitus, & Vicarius apud ſe habeant, aliorum nemini concedendam; ſed & armaria, pluteos, capſas nemo claue obſeret, præter eos, qui res communes adſeruant, niſi ſuperior ex rationabili cauſa conceſſerit.

10. Sed vlterius, vt paupertati conſulamus, depoſita extra domum apud exteros, propinquóſue ſeruanda nemo committat, niſi Superior ea demum ratione conceſſerit, vt communitatis nomine cuſtodienda tradantur.

11. Nummorum aliquid, aut ſyngrapham ſuo nomine ſoluendam, vel ad ſe aliqua ratione ſpectantem, aut argentum, aurum, gemmas, & huiuſmodi pretioſa apud ſe habere, & ſeruanda ſuſcipere nemini omnino liceat, ſed id omne, quod cuiquam creditum fuerit, vt ſeruetur, in communem capſam reponatur, nec vllo vnquam modo inde extrahi poſſit, etiam à Superiore, niſi cum vero Domino reſtitui debet, & qui ſecus fecerit, incurrat ipſo facto priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ ad triennium duraturam. d.56. R

12. Nulli etiam liceat procurare, aut permittere, vt nummorum aliquid ab eis in eleemoſynas, vel in aliud quodcumq; opus erogandum, ſiue aliquibus certis, vel incertis perſonis reddendum ſibi iniungatur. Si autem huiuſmodi, quæ dicuntur confidentiæ, nobis inſcijs demandatæ, & concreditæ fuerint, id onus ne ſuſcipiatur, antequam Superior Localis licentiam dederit. d.56. R.

13. Poſtremò in itinere paupertatis lex non minus exactè ſeruanda erit, quare ne quid aliud, quàm in viaticum expendatur; ſi quid verò in itinere ab aliquo emptum, aut quomodolibet acquiſitum fuerit, id omne ſtatim, ac domi fuerit, ad ſuperiorem deferre teneatur.

14. Cæterùm cum in communi, & de communi ſit nobis ex inſtituto viuendum, bona in communi tantùm habere, & poſſidere

dere licebit; quare eleemoſynas, etiamſi perpetuæ fuerint, ſingulæ noſtræ domus habere poterunt. In eccleſijs item, ſacellis, & altaribus conſtruendis, & vniuerſaliter quocumque alio titulo, admitti poſſint onera etiam perpetua miſſarum, congruo tamen cenſu, prouentuque recepto. Verùm hæ pactiones, onerùmque ſuſceptiones ne fiant, ſine præuio conſenſu duarum partium Capituli localis eius domus, in qua onus ſuſcipi debet, ac etiam ſine aſſenſu Prouincialis, ſuorumque Aſsiſtentium; adeo vt neque Prouincialis, neque Generalis, etiam de Aſſiſtentium voto, ſine eiuſdem Capituli conſenſu, ei domui poſſint onus illud ſuſcipiendum mandare. Sed & quicquid inſuper nummorum accipitur cum onere perpetuo miſſarum, nullo vnquam tempore alienetur, ſed ea pecunia omnino, vel annui cenſus, vel bona ſtabilia, quæ annuos prouentus reddant, emantur, ſub pœna contrauenientibus priuationis officij, & vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum ipſo facto incurrendæ: volumus enim, vt ſi perpetuum debet eſſe onus, perpetuus etiam cenſus habeatur.

Quoad ſatisfactionem Miſſarū. d. 21. R. n. 7. & d. 5. c. g. 19.

d. 43. R. n. 2. De hoc etiam p. 3. c. 5. n. 16.

15. Proinde quicquid pecuniæ, quacumque ratione, titulòue ad noſtras domus peruenerit; item eleemoſynæ cuicumque religioſo à quocumque ſiue extraneo, ſiue propinquo quomodolibet datæ fuerint, ad Superiorem ſtatim ſyncera fide deferantur, & in communi ſcrinio reponantur, de quo ſanè ſcrinio, ſicut etiam de domorum noſtrarum bonis omnibus, latè in tertia conſtitutionum parte infra agemus.

d. 6. c. g. 18. & d. 55. R. n. 1.

p. 3. c. 5.

16. Vltimo, etſi omnes ex inſtituto paupertatem profiteamur, eam tamen munditia nitentem, non ſordibus deturpatam amplectamur: placeat paupertas, diſpliceant ſordes. Vnde in cubiculis, in menſa, in victu, in veſtitu, & in omnibus alijs ſemper paupertati munditia adiungatur, nec vllo modo ſordidum quid permittatur.

CAPVT V.

De caſtitate, & obedientia.

1. QVæ ad caſtitatis virtutem ſpectare videntur, regularum præſcriptionibus hìc explicanda non erunt, cum ſatis compertum ſit, qua ratione, quoue zelo, cordiſue conamine hæc angelica virtus cuſtodiri meritò debeat.

2. Et

2. Et ideo ad obedientiam tranſeuntes, cum (vt Magnus Gregorius ait) ſola virtus ſit, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertáſque cuſtodit, ad ipſam acri ſtudio complectendam iure cohortamur.

3. Et eapropter Superiores omnes reuerebimur, vt parentes, iiſque promptè,&ſyncerè obediemus omnes,non executione ſolũ, ſed voluntate etiam, & intellectu ſimul; quod quidem facillimè præſtabit,qui Chriſtum Dominũ in Superiore quolibet agnoſcere ſtuduerit; ob id enim ſubitò parendum eſt ſuo prælato, quod nimirum hic vices Dei gerat, eiuſque authoritate fungatur, qui dicit; *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

4. Proinde paratum ſe quìſque ad obediendum exhibeat, nec expectet,vt Superior aut ſcripto, aut voce ſeuerè præcipiat,& iubendi vim,quam habet, exerat; ſed boni religioſi partes erunt, etiam in iis, de quibus nulla extat iuſſio, aut nihil expreſsè præſcriptum, Superioris voluntatem inquirere,eìque animo, & affectu inhærere; & adeo alacriter obediendum cuìque erit, vt cum primum campana pulſauerit, aut alio modo obedientiæ ſignum innotuerit, ſtatim exurgere,& ne tantum quidem moræ interponere debeat,quantum cœpti apicis conſummet effigiem: ita enim imitabimur Sanctos, qui (vt Caſſianus refert) imperfectam lineę literam relinquentes non tam operis compendia, lucráue ſectabantur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio, atque ęmulatione feſtinabant. Religioſi enim viri, (vt ille ſubdit)adeo cunctis virtutibus obedientiam præferre debent, vt vniuerſa diſpendia ſubire contenti ſint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur.

5. Quoniam autem, (vt Bernardus ait) perfecta obedientia terminis non arctatur, idcirco quocumque locorum,etiam inter infideles, atque ad Indiarum regiones Superior migrandum iniunxerit, ſubditus, nulla interpoſita mora, quamprimum migrare feſtinet, neque aliquis audeat aut longinquum iter, aut quoduis aliud impedimentum, quod Superior non approbet, aliquo modo prætexere Cæterùm quis, quáue ratione longinquũ iter præſcribere poſſit,infra ſuo loco dicetur, cum de ratione iter agendi agemus. d.1.R.n. 2. Infra c. 20. n. 9.

6. Præterea verò commiſsum ſibi onus, et officium,quodcumque tandem ſit, abſque diſcuſſione quiſque recipiat, et pro modulo virium ſyncerè,et ſtrenuè exequatur;nam proteruæ mentis ſignum eſt, et ambitionis ſeminarium officiorum gradus æ-

ſtimare, & hoc ſibi competere, illud verò minimè, ore querulo, & animo perturbato differere: ſed & ſi quid oneris imponatur, quod ſibi vires excedere videatur, ne recuſet, ſed in Domino confiſus humiliter ſubeat; virtus enim Domini in infirmitate perficitur; ſin verò ſua debilitas, & ineptitudo Superiorem lateat, vbi eum adierit, & quid ſe ab illo officio ſuſcipiendo exterreat humiliter, placidè, & apertè ſignificauerit, nihil amplius ſupereſt, quod facere debeat.

7. Denique obedientiæ ordo expoſcit, vt non ſolum Præpoſitis, & huiuſmodi alijs maioribus Prælatis verùm etiam eorum Vicarijs, & Miniſtris, in ijs, quæ ad eorum officia ſpectant, obediamus: quare nemo ſit, qui illis obtemperare recuſet.

8. Poſtremò ne conſcientiæ laqueus cuiquam inijciatur, teſtamur obedientiam eatenus ad lethalem culpam nos obligare, quatenus Superior in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis, aut alterius cenſuræ præcipiat; quo tamen præcepto hoc modo imponendo raro, & non niſi graui ex cauſa noſtri Superiores vtantur; imò ſi præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ non priuato alicui Religioſo, ſed communitati infligendum eſſet; tunc à Superiore, ſine Capituli localis conſenſu, & à Prouinciali, vel Generali, ſine conſenſu ſuorum Aſſiſtentium ferri non poterit; & pari ratione excommunicationis gladio, vel alterius cenſuræ in nullo caſu ſiue priuatim, ſiue in vniuerſum vtantur noſtri Superiores; Generalis quidem, & Prouincialis, niſi re cum ſuis Aſſiſtentibus, & Localis cum Capitulo locali maturè deliberata.

d. 53. R. & d. 21. R. d. 21. c. g. 19.

Sed nihilominus quamuis obedientiæ tranſgreſſio lethalem culpam, niſi iam hac explicata ratione, non inducat; tamen pœnæ, & quidem graui ſubijcimus omnes, qui eam quouis modo impoſitam violare non verentur, & profectò huiuſmodi religioſi ſedulo coërceantur, & obedientiæ iugo colla ſubmittere cogantur.

CAPVT VI.

De quarto voto, ac iuramento.

1. Ambitionis vitio, quo regularis perfectio labefactata ruit, aditum omnem occludentes, iure optimo cuilibet ex no-

noſtris, qui ſtatui clericali ſit adſcriptus, imponimus, vt quartum illud ſolemne votum in profeſſione emittat; non ſcilicet ſe prætenſurum, vel curaturum ſiue per ſe, ſiue per alium ad prælationem aliquam, vel dignitatem extra Religionem aſſumi. d.9. c.g. 18.

2. Quo etiam modo iuramentum, ſed ſimplex ab ijſdem fieri volumus, quo ſe obſtringant, non acturos vt ſibi Præpoſiti dignitas, vel alia, quę huic præfertur intra Religionem expreſsè mandetur. Fiet autem iuramentum iſtud, abſoluto ſtatim profeſſionis actu, non tamen ſolemniter, ſed priuatim, & ſimpliciter in choro, vel in ſacrario in manibus Superioris, coram quo ipſa ſolemnis profeſſio fuerit emiſſa. Formula verò talis erit. Ego N. N. teſtem inuoco Deum, quod neque Præpoſiti dignitatem, neque aliquod officium, quod huiuſmodi dignitati ex ordinationibus noſtræ Religionis præfertur, mihi expreſsè mandari curabo. Cæterùm ſupra Prępoſiti dignitatem nullam aliam intelligi volumus, quàm Prouincialis, & Generalis.

3. Proinde tam iuramentum iſtud, quàm votum illud non niſi extrinſecos actus, quibus dignitas aliqua procuratur ſub obligatione coërcent; non autem circa deſideria dignitatum, vel huiuſmodi alios internos actus vim habent: quamuis cuique cauendum ſit, ne vel minimis hiſce deſiderijs aditum ſui cordis patere permittat, è qnibus tot vitiorum peſtilens virus erumpit.

4. Verùm ſi (quod abſit) contingat aliquem ex noſtris dignitatem quamlibet contra votum prædictum, aut iuramentum ſacrilega impietate ſibi committi, aut demandari curaſſe, vt voti traſgreſſorem, vel etiam periurum grauiſſimè puniendum eſſe priuatione vocis, & inhabilitate ad illam; priuatione item officij, & loci, & alijs pœnis, Superiorum arbitrio, infligendis iuſta ſeueritate decernimus.

5. Sub graui etiam pœna cunctis iniungitur, vt Superiori ſtatim reuelare, & denunciare teneantur, quandocumque eis innotuerit, quempiam voti huius, & iuramenti tranſgreſſorem aliquo modo exiſtere, iure tamen naturæ, ac diuino, quoad correptionem, ſeruato. d.55. R. n.2.& d. 17. c. g. 191.

6. Tandem, ne vel minima detur ambitionis occaſio, prohibemus, ne quis ſiue per ſe, ſiue per alium ſibi procurari, aut demandari præſumat vel vocem in capitulo, vel quemlibet gubernationis gradum, quicùmque ille ſit, vel etiam promotionem ad ordines, aut in ſecuudo gradu Sacerdotem inſtitui, lectoris d. 22. c. g. 19.

item, & concionatoris officio fungi, vel denique ad ſecularium confeſſiones audiendas deſignari: &, qui contra fecerit, grauiter puniatur, & ad eoſdem gradus, vel officia perueniendi facultas ne fiat.

CAPVT VII.

De ſecundo mediorum genere, quod contemplationis exercitia, & alia continet, quibus immediatè ad Deum dirigimur.

1. VOcationis noſtræ ductum proſequentes, qua à mundi tumultu ſegregati ad ſublimia in cæleſtibus euocamur, cōtemplationem, cultùmque Diuinum ſecundo loco poſt vota adſcribimus; quæ ſanè, ex Domini ſententia, perfectionis continent optimam partem, quæque à rerum labentium affectione ſeiunctū animum iugiter cæleſtibus choris inſinuant.

2. Sed vt omnes intelligamus hæc eſſe noſtræ Religionis præcipua fundamenta, quibus nos firmiter innitamur, oportet vt perfectionis culmina facilè pertingamus. Vnde & à prima inſtitutione hoc præcipuè ſpiritu imbuantur nouitij, & omnes, quotquot ſumus, non corpore tantùm, ſed etiam mente à rebus ſecularibus abducti, res diuinas aſſiduè contemplari conemur.

3. Singula verò, quæ contemplatio, cultuſque diuinus expoſcunt, nimirum mentalem orationem, chorum & huiuſmodi alia ſingillatim per ſequentia capita præſcribemus.

CAPVT VIII.

De oratione mentali.

1. CVm inter omnia contemplationis exercitia primas obtineat vices mentalis oratio, de ea primò agendum. Et ſanè dupliciter in noſtra Religione eam inſtituendam eſſe decernimus. Primò vt communiter in ſingulis domibus ab omnibus noſtris vna in choro, vel in eccleſia, aut etiam in oratorio congregatis, quotidie bis in die peragatur, mane ſcilicet, & veſpere.

2. Et

2. Et matutina quidem oratio, vbi chorus quotidianus erit, ſtatim poſt abſolutas preces matutinas habeatur; vbi verò quotidianus non erit, vt in collegijs, paulo poſt tempus illud, quo preces ipſæ matutinæ in choro perſolui deberent, vt latè dicetur, cum de exercitiorum ordine in tertia parte agemus. Veſpertina autem oratio eo tempore peragatur, quod Prouinciale Capitulum, habita locorum, & regionum diuerſa ratione, deſignabit. d. 54.R.

3. Sed & temporis ſpatium, quo vtràque communis oratio concludi debebit, ſic ſe habeat; in collegijs matutina ad vnam horam; veſpertina ad dimidiam excurrat. In domibus verò exercitiorum, receſſus, & nouitiatus ſeparati, vbi ſemper circularis oratio, præter communem, peragetur; de qua, mox infrà; tam matutina, quam veſpertina ſingulis vicibus mediæ horæ ſpatio abſoluetur.

4. Cæterum vt nemo ſit, qui ab hac communi oratione aliquo prætextu abeſſe poſſit; ſtatuatur mane prima, & ſecunda oratio, vt ſi quis à prima abeſſe cogatur (habita tamen priùs à Superiore licentia) ſecundæ intereſſe non excuſetur. Sed & veſpertinam orationem geminare non refert.

5. Proinde nemo ſit, qui ab incepta oratione, antequam communiter abſoluatur, abſcedere audeat, niſi fortè graui neceſſitate compulſus, quo tamen caſu licentiam, & benedictionem ab eo, qui præeſt petat.

6. Iam verò prẹter communem hanc, alia etiam in domibus receſſus, nouitiatus ſeparati, & exercitiorum inſtituenda erit mentalis oratio, quę quotidie viciſſim in orbem aſſidua reuolutione, ſed interdiù tantùm in choro peragetur, ſingulis horis, ſingulis religioſis ad eam deſignatis, quam ideo circularem placuit appellare. Hòcque erit in his domibus præcipuum noſtræ Religionis munus, per quod ſemper in actu diuino conſpectui poſſit adſtari, non ſolum vitæ ſanctitate, iuxta illud Domini; *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*; ſed etiam orationis aſſiduitate, vt docet nos B. Baſilius dicens: *Orationis tempus ſit vniuerſa vita noſtra*. Quod quidem cum in ſingulis quibùſque perſonis impoſſibile ſit, volumus vt ſaltem viciſſim quoad eius fieri poterit, expleatur in prædictis domibus. Ex quo tandem fiet, vt, veluti lampas ſemper ardens, luceat adſtando ante conſpectum Domini noſtra Religio, lucis fulgorem deinde foris effuſura.

7. Porro autem incipiet hæc circularis oratio ſtatim mane, poſt peractam ſecundam orationem communem; eritque aſſidua, nec vlla vnquam ratione interdiu ceſſabit, niſi dum canonicæ horæ perſoluentur, vel aliud in choro cantabitur.

8. In ea verò tum Eccleſiæ Catholicæ, Congregationis noſtræ, noſtrorumque benefactorum; tum verò præcipuè felicis recordationis Sixti V. Pont. Max. meminiſſe debemus; iure enim ac merito eius animam Domino cõmendabimus, cuius auſpicijs, dum is Chriſti vices in terris ageret, noſtri ordinis inſtitutum ortum habuit, & incrementum.

Superior non poteſt imponere onus precum vltra menſem d. 19. R. n. 3.

9. Poſtremò tam in circulari, quàm in communi oratione non licebit cuiquam toto illo tempore, quo orat, officium Diuinum, aut etiam B. Mariæ, vel defunctorum perſoluere, ſicut neque lectioni alicuius libelli, quantumuis pij, incumbere, niſi fortè iuuandæ memoriæ, & firmandæ mentis ſtudio verſiculos paucos de illo legere opus habeat.

CAPVT IX.

De inſtitutione chori, ac de diuinis officijs.

1. DEcet religioſos viros diuino cultui mancipatos, quam colere profitentur religionis virtutem diuinis laudibus exhibere; quod quidem præcipuè inſtitutione chori præſtari facilè poteſt, vt eam meritò libenter amplectamur, contemplatiuæ partis ſtudio inhærentes.

2. Ergo canonicæ preces à noſtris in choro, ſtatis horis, perſoluantur, nempe matutinæ, quæ nocturnos continent, & laudes, matutinis horis; ſcilicet ante diluculum ſeriùs, ociùſque pro æſtatis, hyemiſque ratione. Diurnæ verò, quæ prima, tertia, ſexta, nona, veſperis, & completorio conſtant, interdiu; romani breuiarij forma, rituque ſeruato; ſed & ſingulis diebus feſtis, quæ de præcepto ſeruantur, ſolemnis etiam miſſa dicatur.

3. Proinde in ſingulis noſtris domibus chorum inſtituendũ eſſe decernimus; & in domibus quidem exercitiorum, & receſſus, ac in nouitiatibus ſeparatis quotidianus, ſine alicuius diei intermiſſione, erit. In collegijs verò ob literarias ſtudiorum occupationes, nullo modo quotidianus, ſed dominicis tantùm,

& fe-

& feſtis diebus primæ, & ſecundæ claſſis inſtituetur, hac tamen ratione, vt in feſtis primæ claſſis, eodem prorſus modo, quo in exercitiorum domibus chori munia exhibeantur; primis etiam veſperis non omiſſis. In dominicis verò, & feſtis ſecundæ claſſis ſatis erit, ſi matutinæ preces, & deinde hora congruenti, tertia dumtaxat, & miſſa ſolemnis, ac veſperæ ſine completorio dicantur. Cæterum primæ claſſis feſta, in quibus collegij chorus, præſignato modo, diſponetur, huiuſmodi erunt; nimirum Natiuitas Domini, & Epiphania, Paſcha Reſurrectionis cum tribus præcedentibus, & duobus ſequentibus diebus, Aſcenſio Domini, Penteçoſtes, cum duobus ſequentibus diebus, feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio B. M. Virginis, feſtum omnium Sanctorum, Dedicatio propriæ eccleſiæ, Patronus, vel Titulus Eccleſiæ Si quod verò aliud primæ claſſis erit, eadem ratione in collegijs ſicut feſtum ſecundæ claſſis celebrabitur. d 5. c.g. 18.d. 59. R.n. 1.& 2.

4. Iam verò diuini officij celebratio, vbi chorus quotidianus erit, hoc ordine procedat, vt feſtis diebus dicatur prima poſt circiter vnius horæ ſpatium ab aurora, poſt primam excurrat alterius horæ ſpatium plus, minuſuè, quo expleto, dicatur tertia, & poſt eam miſſa ſolemnis, & hac abſoluta, dicatur ſexta, & nona continenter. Ferialibus verò diebus, poſt vnius, vel duarum horarum ſpatium ab aurora plus, minùſue dicantur ſimul prima, tertia, ſexta, & nona; veſperæ hora congruenti ſerius, ociùſue pro æſtatis, hyemiſque ratione. Completorium regulariter ſemper dicetur immediatè poſt veſperas; feſtis verò diebus, & quandocumque ſolemniter celebrabuntur veſperæ, ſeiunctim ab ipſis, hora cum dimidia ante Solis occaſum, plus, minùſue. In quadrageſima verò veſperæ ante cœnam, completorium hora mox præſcripta.

5. Quod verò ſpectat ad modum, dicatur officium, & quidquid aliud in choro cantandum erit à noſtris, voce quidem ſimplici, & tono quodam deuoto, & vniſono, ſine cantu figurato, aut firmo, cum commoda in verſibus pauſa. Muſico verò cantu, inſtrumentorùmque modulationibus noſtri in officijs diuinis eatenus vti nullo modo poſſint, quatenus ipſimet per ſeipſos canere, ac modulari vellent: nihilominùs tamen exteros muſicæ peritos quandoque ad hoc modo canendum, & modulandum in eccleſijs noſtris admittere ab inſtituti noſtri ratione non modò non alienum, ſed ei potiùs valde conſonum arbitramur, cum

id

id aptiſſimum medium ſit ad populi deuotionem, cui ex inſtituto incumbimus, excitandam; atque ideo licebit nobis organa etiam in Eccleſijs habere. Verùm quibus diebus hæc muſica adhibenda erit, ſtatuimus; vt cum ſolemnis quadraginta horarum oratio, vel feſtum Patroni ecclefię celebrabitur, localis Superior, abſque aliorum voto eam admittere poſſit: cęteris verò feſtis diebus id ei nullatenus liceat ſine Conſultorum voto adhibito. Cęterum ſi aſſidua quibuſdam ſingularum hebdomadarū, vel menſium diebus introducenda eſset muſica, nequaquam ſine Locali Capitulo, & ſine Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium voto, ac etiam ſine peculiari cenſu parato introducatur; quod ſi cenſus non adſit, Generalis etiam, ſuorumque Aſſiſtentium vota requirimus.

6. Verum cum, ad modum inſuper diuina officia perſoluendi, ritus ſpectent, & cæremonię ſacræ, de his ſtatuimus, vt libellus conficiatur, in quo rituum omnium formulæ à Sacra Congregatione confirmandæ, maxima diligentia præſcribantur; curandùmque erit, vt exactè ab omnibus, concinnè, & decorè vniformi obſeruantia exerceantur; quod quidem vt fiat, ſemel in menſe clericis omnibus, & ſacerdotibus profeſſis vna congregatis, ritus, & cęremoniæ explicentur; ijs tamen exceptis, quos Superior iudicauerit huiuſmodi cęremonias probè callere. Cęterum errata, prauique abuſus emendentur, ritûſque variantes concilientur. Sed nouitij ſeorſim in nouitiatu frequentiùs in his ritibus inſtruantur ad Magiſtri prçſcriptum.

d.18.c.g.19. De hac re iterum p.4 c.2. n.4.

7. Denique poſt modum, perſonas deſignantes, decernimus vt ad diuina officia in choro celebranda ſinguli ſacerdotes, & clerici vna conueniant, nec aliquis ſine Superioris licentia abeſſe præſumat; laici quoque ad matutinum ſurgant, ac tantiſper genuflexi orent, donec inuitatorium in choro recitetur, quo dicto benedictionem ſimul poſtulent, deinde ad opera ſibi prçſtituta ſecedant. Qui clericus vel ſacerdos poſt inchoatum officium in choro venerit, ſi ibi Superior, vel Vicarius adſit, ad ſuum locum ne ſe recipiat, ſed genuflexus in choro medio ſurgendi ſignum expectet, quo habito ſtatim ſurgat, & ad ſuum locum ſe conferat: ſi verò Superior ibi, vel Vicarius non aderit, breui oratione premiſſa, &, nullo expectato ſigno, exurgat, & cum alijs in ſuo loco conueniat. Proinde verò ſine graui neceſſitate, & ſine licentia, ac benedictione eius, qui prę eſt, à choro, antequam officia abſoluantur, nemo egrediatur: ſed & ſi quis de licentia

d. 36. R. Qui Clerici eximuntur ab obligatione officij.

S upe-

Superioris abſcedat, & poſtea ad chorum reuertatur, ſurgendi ſignum nequaquam expectet.

CAPVT X.

De Sacramentorum pœnitentiæ, & euchariſtiæ ſumptione, ac de ſacrificio miſſę.

1. ASceñſiones in valle lacrymarum, Deo adiuuante, diſponentes, vt, de virtute in virtutẽ, perfectionis faſtigium conſcendamus; hunc alium contemplationis, cultuſque diuini gradum figimus, & locamus, ſacramentorum ſcilicet frequentem ſumptionem, & vſum, ad quem meritò cohortamur, & inuitamus omnes.

2. Quocirca clerici noſtri, & laici ſingulis dominicis, alijſque feſtis diebus primæ, & ſecundę claſſis, ſimul euchariſtiam publicè in eccleſia ſumant. Nouitij verò tùm ijs diebus, tum ètiam ſemel infra hebdomadam eo cæleſti cibo reficiantur; ſacerdotes autem quotidie ſacrificent, aut ſi interdum abſtinere velint (quod vt rariſſimè contingat optamus) abſque Superioris conſenſu ne abſtineant. d. 57. R. n. 1.

3. Nemo porro ſiue clericus, ſiue laicus (nulllus licet peccati mortalis cõſcius) diuinam euchariſtiã ſumere audeat, niſi confeſſione ſacramentali ante fuerit expiatus: ſacerdotes verò bis ſaltẽ in hebdomada volumus confiteri. Timendum eſt enim religioſis viris ne, contemptu leuium culparum, paulatim in deterius prolabantur. d. 26. R. n. 1. & 2.

4. Cęterùm in ſingulis quibuſque domibus deputentur à Superiore duo, tres, aut plures confeſſarij, pro ſubditorum numero maiori, vel minori, atque ex ijs, cui quiſque voluerit, confitebitur: iis verò exceptis aliorum nemini, niſi Superior, non leuem ob cauſam, alicui id expreſsè conceſſerit; Superior verò ſacerdoti cuipiam à ſe delecto. d. 57. R. n. 2.

5. Sed & confeſſarij caueant, ne noſtros religioſos (niſi qui in lectulo detinentur infirmi, vel alias impediti) aut in cellulis, aut in alijs, quam in deſignatis à Superiore locis auſcultent: excipimus nihilominus ſacerdotes quorum confeſſiones in cubiculis excipere licebit.

6. Iam verò, quod attinet ad ſacrificium miſſæ, clerici, &

laici vel quotidie ad miſſam ſacerdoti inſeruiant, aut eam ſaltem audire non omittant, ſimiliter & ſacerdotes, quibus diebus à ſacrificij celebratione abſtinuerint, eidem interſint.

CAPVT XI.

De examine conſcientiæ, & quibuſdam alijs ad contemplationem ſpectantibus.

1. PRoſequentes alia, quæ contemplationis ſtudium à nobis iure expoſcit, inter ea primo examen conſcientiæ ponimus; quod quidem ab omnibus communiter in choro, vel in eccleſia, aut etiam, ſi ibi commodè conuenire non poſſint, in oratorio congregatis, bis ſingulis diebus, mane ſcilicet, & veſpere peragetur; ſed mane ſtatim à prandio; veſpere autem, hyemali tempore, ſtatim poſt cœnam, æſtiuo, poſt ſilentij ſignum. Sed & nouitij (vbi primus nouitiatus domui exercitiorum coniunctus habebitur) id veſpere in eorum oratorio perſoluant.

2. Porro eodem ipſo tempore, quo ſinguli conſcientiæ rationem à ſeipſis expoſcunt, meminerint ſimul diuinæ munificentiæ pro alimonia gratias agere, eamque pro benefactoribus exorare: verùm in huiuſmodi perſoluendo exercitio, examine ſcilicet conſcientiæ, & actione gratiarum, tum mane, tum veſpere, octauæ partis horæ ſpatium ſingulis vicibus non excedatur.

3. Adhæc ſpirituali ſacrorum librorum lectioni quilibet pio ſtudio, ad breue ſaltem temporis ſpatium ſingulis, vel alternis diebus vacare nitatur; hoc enim ſolido veluti cibo alitur, & pingueſcit oratio, viget deuotio, & contemplatio enutritur.

4. Sed vt nulla progrediendi deſit occaſio, verbum etiam Dei noſtris omnibus exhibendum: quare bis ſingulis menſibus ad profeſſos omnes extra nouitiatum degentes vnà congregatos ſermo, ſiue etiam ſpirituales collationes de Deo, & de profectu virtutum, ad mediæ horæ ſpatium habeantur, ſiue à Superiore, ſiue etiam, cum Superior id præſtare commodè non valebit, ab alio, quem deſignauerit ipſe. Cæterùm nouitijs in eorum nouitiatu frequentiùs à Magiſtro id exercitium perſoluatur.

5. Proinde verò, vt diligenti ſtudio, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram, experimento diſcamus, proderit quammaximè, licet cuiuſque arbitrio id relinquamus, vt ſemel in an-

no, & quoties item ad ſacerdotium quis promouendus erit, ſinguli quotquot ſumus, à vitæ actiuæ exercitatione abducti, & recollecti, non mente ſolum, ſed etiam corpore, & in vno illo, quod ex Domini ſententia neceſſarium eſt, quieſcentes, ſpiritualibus tantummodo contemplatiuæ partis exercitijs, ad decem ſaltem, vel octo dierum ſpatium (ſuo cuique à Superiore deſignato tempore) vacemus; ex quo planè fiet, vt ſpiritum renouare, feruorem excitare, progreſſum reſumptis viribus velociori curſu proſequi, ac Domino intima valeamus adhæſione coniungi; quare enitendum erit, vt hæc tam ſancta inſtitutio nouo ſemper ſtudio promota vigeat: ex qua vtique religioni fluenta ſpiritus promanabunt. Sed & nouitij ſemel, vel etiam bis, antequam profeſſionem emittant, in nouitiatu præſtabunt, prout infra ſuo loco dicetur; in vniuerſum autem quiſquis ille fuerit, ſiue profeſſus, ſiue nouitius, quo tempore eis incumbet, domo non egrediatur, cum alijs ſiue ſecularibus, ſiue religioſis non loquatur, recreationibus quibuſcumque, etiam quotidianis, non interſit; ſed ſolitarius in loco ſibi deſignato, eleuans ſe ſuper ſe, conuerſationem in cœlis habere nitatur. Denique peculiaris conficiatur libellus, in quo ſingillatim hæc exercitia præſcribantur, ac inſuper deputetur vnus, qui veluti horum exercitiorum præfectus eis incumbentes (qui ſcilicet inſtructione indigere videbuntur) inſtruere, ac dirigere curet.

6. Sed præterea, vt vitæ contemplatiuæ, omni alio tempore, tota virtute vacemus, cauenda nobis ad exteriora effuſio, proſpicientes, ne forte, quod Paulus inclamat, pereffluamus. Quapropter vbi charitas, & obedientia non exigunt, externis negotijs nequaquam implicemur, ijs verò cum applicamur, meminiſſe iuuabit, quod S. Bernardus admonebat; *Vbicumque fueris, tuus eſto, noli te tradere, ſed accommodare*. d. 51. R.

7. Poſtremo hoc eodem ſpiritu promota Religio, vt à mundi tumultu ſegregata faciliori via contemplationis ſtudia conſequatur, illud ſapienter excogitatum ex inſtituto præſcribit, vt ſcilicet domus quædam receſſus (ſingulæ tamen in ſingulis prouincijs) longè à mœnibus, & ſuburbijs diſſitæ conſtruantur; in quibus contemplationis iter abſque impedimento, ab ijs, qui ibi degent, confici poſſit. Sed verò de his omnibus infra ſuo loco in tertia parte redibit latè ſermo.

CAPVT XII.

De Eccleſiæ cultu, & ſupellectili ſacra.

1. VT ea, quæ Diuini Numinis cultum, & honorem promouent, rite ſemperexequi valeamus, eccleſiarum cultui ſummo nobis ſtudio vacandum eſſe intelligamus: id enim maximè regularium ſtatus expoſcit, Sanctorum exemplo, qui domus Dei decori pia ſollicitudine intendebant. Vnde noſtri ab ipſomet nouitiatus tempore diligenter hoc ſpiritu imbuantur.

2. Proinde demus operam, ne ea, quæ aliquam profanitatis ſpeciem præ ſe ferunt, ſeculares actiones, vana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, & id genus alia in eccleſijs noſtris habeantur, vt domus Dei, domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.

3. Sed & præcipuè nobis incumbit, vt ibi exiſtentes non interiori ſolum cordis munditia, verùm externa etiam pietatis ſpecie nos tanquam Dei miniſtros exhibeamus, quare, & ſi vbique, tum verò maximè in eccleſijs, vbi ſpectaculũ facti ſumus Deo, & hominibus, vtamur greſſu modeſto, ſereno vultu, demiſſis oculis, ſermone placido, greſſu ſedato; ita enim fiet, vt & proximum ædificemus, & ſacrarum rerum nos dignos præferamus tractatores.

4. Adhæc omni ſtudio curemus, vt ipſamet ſacra ædes, parietes, pauimentum, & quæ in ea inſunt altaria, ac ſacra ſupellex munditia, & decore reſplendeant; ſacerdotum, & altarium veſtes, diuino cultui dicata vaſa, atque id genus eccleſiaſtica inſtrumenta probè ſeruentur, & ſuo quæque loco aptè diſpoſita collocentur.

De cuſtodia ſacrarum reliquiarum d. 52. R. in fine.

5. Ea porro ſacra ornamenta, veſtes, & vaſa etiam auro, gemmis, & alio quouis decore ornata, & quælibet pretioſa libenter in eccleſijs noſtris ad maiorem diuini Numinis cultum admittimus, nec paupertati noſtræ aduerſari declaramus.

6. Cæterum ſecularibus ne facilè, neque abſque Superioris licentia, ſuorumque Conſultorum conſenſu concedatur, vt in ſacris indumentis, ſacriſque vaſis ſua inſignia inſuant, aut quoquo modo inſculpant.

7. Sed verò eccleſiæ ſacella, & genus omne ſacrarum ædium

ſecula-

ſecularibus conſtruenda, vel ornanda concedi poterunt, non tamen ſine capituli localis,& Prępoſiti Prouincialis,& ſuorum Aſſiſtentium voto: & ſi eis inſignia, & inſcriptiones indere velint; ea quidem ab iiſdem Patribus ante probata, & modeſta permittantur. Illud autem cauendum, ne perpetuum grauéque onus nobis imponere ſinatur; quod quidem numquam admitti poterit, niſi ob non leuem inſignis perſonæ rationem, & re priùs maturé conſiderata, & ſedulo diſcuſſa, ac definita ex conſenſu duarum partium capituli localis illius domus, vbi fundandum eſt ſacellum, aut imponendum onus, & ex conſenſu etiam Præpoſiti Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium.

CAPVT XIII.

De tertio mediorum genere, quod ea continet, quibus immediatè ad nos ipſos ordinamur.

1. PRæſcriptis iam, quæ immediatè ad Deum, eiuſque cultum nos dirigunt, ea modo ſe offerunt, quibus immediatè ad nosipſos ordinari valeamus; cuiuſmodi ſunt communis, ac regularis ratio victus, & veſtitus, maceratio carnis, pœnitentiarum vſus, ſilentij cultus, modeſtiæ virtus, charitas ad inuicem, & id genus alia; in quibus ſanè religioſæ diſciplinæ robur maximè ſiſtit, vt meritò adnitendum ſit, ne contra ea abuſus aliquis paulatim irrepat; ſed ſingillatim de his omnibus per ſequentia capita agemus.

CAPVT XIV.

De regulari victus, & veſtitus, & aliorum, quæ ad corpus attinent, ratione.

1. IN primis à ratione victus incipientes, decernimus, vt omnino in communi ſit omnium noſtrûm victus: ideo in ſingulis noſtris domibus locus communi menſæ deputandus erit.

2. Sed & duplex menſa ſucceſſiuè vna poſt aliam inſtituatur oportet, & qui à prima aberit, ſecundæ interſit. Ad primam tamen omnes, & quidem vnà ſimul, adire conentur; nec, niſi

iuſtas

iuſtas ob cauſas, & de Superioris licentia quiſquam abſit. Qui verò, legitimè detentus, primæ intereſſe non poterit, ad alteram ſtatim accedat.

3. Porro vtriuſque menſæ eadem ſit ſtructura, idem in vnaquaque omnibus ferculorum numerus, & ratio; nec ad eas poterit quis ciborum aliquid vel ſecum ferre, vel ſibi ferendum curare, aut etiam quidpiam, præter id, quod apponitur, requirere.

4. Omnes verò, dum comedunt, oculos à circumſpectione, & linguam à locutione cohibeant: ſilentium enim eo loci, etiã recreationis tempore, tum in prima, tum in ſecunda menſa à cunctis exactiſſimè obſeruandum indicimus; & Superior ipſe, ſi quid interim iubendum occurrat, vel ſigno, vel ſubmiſſa voce vtatur.

5. Prima autem menſa ſacra lectione condiatur, quam omnes ſilentio, & attentè auſcultent, vt ſuus ſit animo, quo nutriatur, cibus; in cuius initio aliquid ex ſcriptura ſacra legatur, alius deinde pius, & probatus latini ſermonis liber; poſtmodum deuotus alter vernaculæ linguæ. Sed & lectoris errata, ſi quæ interuenerint, emendentur, ab eo nimirum, qui ad id fuerit à Superiore deſignatus. Quocirca ſacerdos aliquis in ſecundo gradu conſtitutus, idoneus tamen, ad ea corrigenda deputetur: cui etiam, vt in eius abſentia hoc ipſo munere perfungatur, ſacerdos alius idoneus eiuſdem etiam gradus adiungetur, qui tamen ſi primæ menſæ ſimul adſint, antiquior in corrigendo præcedat. Denique librorum, qui ad menſam ſunt legendi, catalogus à capitulo prouinciali ſemel fiat, quem vbique retinendum nemini variare licebit.

6. Iam vero à prima menſa, antequam fuerit ab omnibus ſimul expleta, nemo prorſus quocumque prætextu abſcedat; & Superioris erit vigilanter intendere, ne quis in hac parte abuſus irrepat: volumus enim, vt omnes ſimul comedentes, ſimul à menſa egrediantur; quod ſi tamen vrgens aliqua ratio, vel neceſſitas, quæ differri non poſſit, quempiam priùs egredi compellat, is quidem ab eo, qui præeſt licentiam, & flexis genibus benedictionem expoſcat. Sed in fine tandem, ſigno à Præſide dato, ſimul omnes ſurgentes deuotè ibidem gratias de more agant, & lotis manibus, cum modeſtia in chorum, vel in eccleſiam, aut etiam in oratorium, in ſilentio abeant; &, quod ſupra cap. 11. n. 1. & 2. de conſcientiæ examine, & gratiarum actione, ac pro benefactoribus obſe-

obſecratione præſcripſimus,ibi expleant cõgregati:præcipuè verò meminerint pro ijs in ſpecie benefactoribus orare, quos ſabbato in menſa recitatos audiuerint: ea enim die volumus, vt eleemoſynæ,per hebdomadam receptæ, in refectorio à lectore abſoluta lectione, recitentur.

7. Extra communem menſam comedere nemini omnino liceat, ægrotis tantùm exceptis, quibus in cellulis comedere ſit neceſſe; concionatoribus item, quibus in cubiculo comedendi facultatem concedimus; in quadrageſima quidem, toto illo temporis curſu; in alijs verò temporibus non niſi mane, ſi matutina; & non niſi veſpere, ſi veſpertina concio habeatur. Si verò continuatis diebus,extra tempus quadrageſimæ,prædicabitur, illis ipſis diebus tum mane,tum veſpere comedere in cubiculo concionatori licebit. d.33. R.

8. In domibus ſecularium,ſiue intra vrbem,ſiue in eius ſuburbijs, aut ruri degentium nobis comedere non licebit: ſed,cum eos quis noſtrùm inuiſerit, enitatur domum ad horam refectionis reuerti; quod ſi id fieri nequeat, antequam domo abſcedat, comedendi foris facultatem à Superiore petat, & habeat. Si autem accidat, quod ægroti, quem aliquis noſtrùm viſitauerit, adeo ingraueſcat infirmitas,& eum pene extremo ſpiritu conflictantem deſerere non videatur æquum;huiuſmodi legitimum impedimentum Superiori, ſi fieri poteſt, quamprimùm nuncietur, vt ab eo comedendi, ac etiam, ſi opus erit, pernoctandi apud ſeculares facultas fiat; ſin minus, ſtatim ac domum redibimus, rem omnem Superiori aperiemus. Idem dictum ſit, ſi quando ab aliquo Epiſcopo, vel Nuncio, vel etiam Cardinali, aut in proprijs locis à Dominis ipſis locorum,ſiue inſuper à viro aliquo religioſo in monaſterio ſecum veſci coacti fuerimus; hos enim ſolos ad id inuitare, & vrgere nos poſſe decernimus.

9. Sed iam à ratione victus ad veſtitum tranſeamus, qui ſanè in vniuerſum clericalis erit; quandoquidem clerici ſumus. Exterioribus autem non ſolum, ſed interioribus etiam complebitur indumentis; & exteriora quidem tam pro clericis, quam pro laicis erunt tunica, domeſtica toga, & pallium; pallium quidem, quo foris exeuntes; domeſtica toga, qua domi exiſtentes vtemur.

10. Proinde quod attinet ad materiam eiuſdem indumenti exterioris,cum deceat minores clericos, & paupertatem profeſſos honeſtum quidem indumentum,vile tamen, & rude,exteriores ve-

ſtes

ſtes ex panno nigri coloris vili, & rudi conficiantur. Et in noſtra
d.49. R. ſane domo neapolitana ſint ex ſaſſanenſi panno, quo à principio noſtræ Religionis vſi ſumus, & pro vili, & rudi ibi exiſtimatur. In reliquis verò regionibus, & prouincijs, vbicumque noſtri inſtituti domicilia erunt, cum prædictus pannus ſaſſanenſis commodè haberi non poſſit, ex eo panno nigri etiam coloris conficiantur, qui in vilitate, & ruditate, capituli prouincialis arbitratu, eidem ſaſſanenſi omnino ſimilis exiſtat. Illud etiam volumus, vt eodem panno per hyemem, & per æſtatem noſtri vtantur; & cum ſemel prouincialis capituli decreto fuerit deſignatus, ſemper in eadem prouincia illemet retineatur, nec aliqua poſſit à quouis alio prouinciali capitulo deſignatio fieri, ſine conſenſu generalis capituli. Idque decretum adeo ratum, firmumque ſit, vt à nemine, quauis ratione, & prætextu mutari, alterari, aut diſpenſari poſſit.

11. Porro quod attinet ad formam, decernimus, vt exterior veſtitus ſimplex ſit, munditia ſola decorus, & talis, qui ſemper moderationis, & paupertatis nos admoneat. Sed verò tunicam clerici, & ſacerdotes talarem; laici ſupra talum decurtatam gerant. Non erit aperta ante, niſi ab infima pectoris parte dumtaxat ad vſque collare, & per totum fibulis alliganda; alia pars ad vſque pedes vndique ſit concluſa. Eius autem manicarum, quibus brachia conteguntur, extrema latitudo, quæ prope manum eſt, in gyrum non ſit minor, nec maior vnius latitudine palmi cum dimidio.

12. Domeſtica toga pro clericis quidem talaris etiam ſit,
d.49. R. aperta ante per totum, fibula in collari ſubliganda; & manicas eodem modo, quo tunica, habeat; quibus ſanè ad libitum brachia conueſtire, vel eas pendentes geſtare licebit, & ad libitum, etiam eam præcinctam, vel non præcinctam ferre quiſque poterit. Pro laicis vero domeſtica toga manicas decurtatas, quæ tribus digitis à cubito diſtent, & collare etiam non erectum, ſed ſupra ipſammet cadens, habeat; quam inſuper volumus, vt eodem tunicæ coriaceo cingulo præcinctam ferant; eiuſque manicis brachia induant. Denique quod ad pallium attinet, illud quidem ad talum vſque protendatur.

13. Sed & cingulo inſuper coriaceo nigri coloris tunicam ad corpus contrahemus; huius enim cinguli vſum familiarem
d.49. R. fuiſſe ipſis Domini Diſcipulis Baſilius pluribus demonſtrat. Ad amiciendum caput biretis vtantur clerici in crucis figuram ef-

for-

formatis; laici verò rotunda pileola, ex eodem tunicæ panno confecta geſtabunt. Hi tamen cum domo egrediuntur, petaſum gerant, quo etiam clerici exeuntes ad libitum vtantur. Poſtremò ſiue foris, ſiue domi conſtituti clerici in huiuſmodi veſtitus ratione vniformitatem obſeruent, adeo vt eiuſdem generis, & formæ veſtibus vtantur omnes, ne diſcrimen inter eos aliquod ineſſe videatur: hoc idem laici inter ſe obſeruent.

14. Sed vlterius indumenta interiora præſcribentes, ea quidem pretio, ac forma honeſtatem ſimul, & paupertatem redoleant. Lineis ſubuculis, lineiſque femoralibus vtemur omnes, ac etiam alijs interioribus indumentis è panno, lino, pelle, aut etiam goſſipio confectis, quæ cuique opus erunt, habita indigentiæ perſonarum, ac diuerſorum temporum, & regionum ratione; quæ tamen ex pelle conficientur indumenta, ea parui pretij eſſe volumus. Porro ſubuculæ collare ſupra collare tunicæ nequaquam extractum plicetur. Sed & tibialia geremus, quæ ſint è panno nigri coloris; calceis, & crepidis vtemur, numquam verò chirothecis, quæ tamen, ſed ſimplices, iter agentibus permittantur. d. 56. R.

15. Denique veſtes omnes lineæ in communi veſtiario conſeruentur, atque inde cuique, Superioris arbitratu, vtendæ diſtribuentur. Serici nihil ſit apud nos, nec in veſtitu, nec in lectis.

16. Iam verò alia, quæ ad corpus attinent, proſequentes; ad cubandum lectis vtemur ſimplicibus quidem, & frugalibus, non affabrè, & curiosè factis; ſine conopeo, ſine ornatu, vt ſupra etiam in capite de paupertate præſcripſimus; aſſumendis verò non ad otium, & ſocordiam, ſed ad neceſſariam corporis quietem. In cubando autem decentia, & modeſtia ſeruetur. Quare nemo ſit, qui ſine induſijs iacere audeat. Illud etiam clerici, & laici ſicut etiam, & ſacerdotes primi gradus pium inſtitutum obſeruent, vt ſcilicet veſpere, poſt conſcientiæ examen, antequàm cubitum eant, benedictionem flexis genibus à Superiore expoſcant.

17. Barbam nemo radat, nemo decurtatam gerat, nemo vel nimis longam, vel nimis latam nutriat; ſed in tantum pili demittantur, vt in demiſſione mediocritas quædam obſeruari videatur; regionum tamen diuerſa ratio, diuerſuſque ritus vbique ſeruetur. d. 47. R.

18. Ad vultum, & manus abluendas, & detergendas quiſ-

que habeat mappam lineam, & catinum fictilem, ac rudem: pectinem quoque vnum ligneum, aut oſſeum, non tamen eburneum. Odoratum autem ſaponem, ſpecula, & huiuſmodi delitias noſtros religioſos nequaquam decere, nemo eſt qui non intelligat. Quocirca nihil horum apud ſe quiſpiam habeat.

19. Denique inter ea, quæ ad corpus attinent, honeſta animi remiſſio, ſeu recreatio occurrit; quam quidem iure nobis amplectendam eſſe cenſemus: nam expedit interdum, vt ex Caſſiano habemus, parua, & breui laxatione animum oblectare, vt poſtmodum ad virtutum labores vegetior exurgat: & *plerumque* (vt Magnus Gregorius ait) *virtus, dum diſcretè intermittitur, plus tenetur*. Ergo Sanctorum veſtigijs inhærendo, quintodecimo quoque die (excepto aduentus, & quadrageſimæ tempore) domi vel ruri communis recreatio fiat, quæ quidem ab ipſa hora prandij ſumat initium, eritque menſa, tum mane, tum veſpere aliquanto liberalior, quo etiam die mutuis colloquijs, honeſtis oblectationibus, iucundis canticis, ac iocis, quæ religioſos viros decent, animum leuant; ita tamen vt ſcurrilitas, dicacitas, & manuum licentia prorſus abſit. Proinde ſemel in hebdomada foras, animi cauſa, communiter deambulent. Hyeme poſt prandium, æſtatis tempore mane: reuertantur autem mane ante prandium; veſpere ante ſolis occaſum; ſed ſiue ad deambulationem, ſiue ad habendam ruri communem recreationem egrediamur, ſemper domi aliqui remaneant, qui ſecularibus accurrentibus præſto ſint, qui eorum confeſſionibus excipiendis, qui infirmis, qui alijs munijs obeundis incumbant.

Qui ludi noſtris prohibeatur. d.55. R.

20. Sed & quotidie, ſtatim poſt prandium, omnes ſimul in deſignato loco conueniant, nec quiſquam abſit, aut inde abſcedat, ſine Superioris licentia, ibique vnius horæ ſpatium modeſta, & religioſa animi remiſſione tranſigant. Idem veſpere ſeruetur, ſed æſtiuo tempore poſt cœnam, hyemali verò congruo interualli ſpatio ante ſolis occaſum. Poſtremò illud omnibus curæ ſit, vt in ſingulis quibuſque recreationibus natura ſubſidium capiat, & ſpiritus detrimentum non patiatur; atque (vt D. Ambroſius admonet) caueamus, ne, dum relaxare animum volumus, ſoluamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum.

CAPVT XV.

De carnis maceratione, mortificationum exercitijs, ac pœnitentiarum vſu.

1. RElígioſæ vitæ ſanctitas ſpirituali carnis, & affectuum morte adeo enutrita ſubſiſtit, & viget, vt iure ac merito ſancti viri ſuſpendium in Chriſti cruce, & mortem eligentes, carnem ibi cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis, magnanimitate præditi, affigere non dubitarint. Id quod præcipuè nobis in minorum ſtatu conſtitutis incumbit, ne, maiorum inſtituta deſerentes, ſceleris arguamur.

2. Ergo mortificationem Domini Ieſu in corpore noſtro circumferentes; in primis ieiunij, & abſtinentiæ rigore carnem edomemus; quocirca præter ieiunia, quæ cunctis fidelibus Romana indicit Eccleſia, hæc alia à nobis obſeruanda decernimus; ieiunium aduentus Domini, dum domi morabimur; ieiunium feriæ ſextæ per totum anni circulum, niſi fuerit pridie celebratum feſtum Natalis Domini, vel etiam fuerit pridie ieiunatum, aut die poſtero ieiunandum; ieiunium item ſecundæ, & tertiæ feriæ ante Cineres; ſed & ſecundis, & quartis ferijs totius anni in nulla noſtra domo, ſiue nouitiorum, ſiue ſtudiorum, ſiue exercitiorum, ſiue receſſus, carnibus vllo modo veſcamur. Excipimus feriam ſecundam Paſchæ, & Pentecoſtes, & feſtum Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ, ſi ſecunda, & quarta feria incidant; itemque ſecundam illam, vel quartam feriam, quæ poſt diem Natalis Domini immediatè ſequetur. d.45. R. d.6. c.g. 19.

3. Proinde autem varijs diuexationibus carnem macerantes, corporales has per circulum afflictiones eligimus, nimirum vt in ſingulis diebus (feſtis tamen ijs exceptis, quos Eccleſiæ præcepto celebramus) ſit vnus ex noſtris, qui ab omni cibo ieiunet ſolo pane veſcatur, ſitim aqua, vel, de Superioris conſenſu, vino modico ſedet: alius item cilicio carnem vexet; alius flagris ſe cędat. Qui autem ieiunabit ex ea, quam ſibi ſubtrahet, cibi, potuſque portione, pauperem aliquem (de licentia tamen Superioris) ad fores domus reficiat, *vt fiat refectio pauperis, abſtinentia ieiunantis*; eundem verò quem cibo aluerit Chriſtiana doctrina imbuere ſtudeat. Cæterum in collegijs circu-

culares hæ pœnitentiæ, non omnes ſingulis diebus fient, ſed ſingulæ in ſingulos dies; id quod etiam obſeruetur in alijs noſtris domibus, quas ſufficiens religioſorum numerus non habitauerit; qui quidem numerus ad ſingulas pœnitentias in ſingulos dies peragendas quandonam ſufficiens erit, vel non, Prouincialis erit, voto adhibito Aſſiſtentium, diiudicare: ab ipſis tamen res hæc de ſufficientia numeri, quolibet ſemeſtri in conſultationem vocetur.

d.26.c.g.19. 4. Adhæc ſingulis ſextis ferijs in vnaquaque domo communis flagellatio (quam diſciplinam vocant) intra eccleſiam veſpere celebretur. De cuius ritu, & formula in noſtro de ritibus libello diſſeritur.

5. Sed & Sanctorum exemplo, ſecretarum etiam pœnitentiarum vſum amplectentes, cohortamur omnes, vt habita priùs à Superiore, vel à proprio confeſſario licentia, quandoque peculiaribus pœnitentijs ſe ipſos diuexare non negligant; taliſque vſus promouendus ſedulò erit: macerato enim impenſius corpore, anima purius Deo vacabit.

6. Denique ad mortificationum exercitia antiqua Sanctorum de inobſeruantijs publicè profitendis, ac pœnitentijs iniungendis inſtitutio ſpectat; qua ſanè regularis vitæ ſtatus ſub diſciplina continetur, & omni tempore viget illæſus. Ergo ita inter nos hæc culparum publica profeſſio inſtituatur, vt quoties quis negligenter quidpiam fecerit, vel aliud quid contra leges noſtras exceſſerit, in refectorio medio, ad refectionis initium ſe palam, flexis genibus, clara voce, Superiori accuſet, & pœnam, quam ipſe iniunxerit, promptè ſubeat.

7. Illum etiam laudabilem morem valde probamus, & amplectimur, qualis nimirum eſt mortificationum in eodem refectorij loco flexis genibus, ad refectionis initium, petitio; cui vt libenter omnes incumbant, enixè hortamur: ſic enim, dum corpus reficitur, perficitur anima morte, qua viuit.

CA-

CAPVT XVI.

De ſilentio obſeruando, & otioſitate, ac vagatione vitanda.

1. PRæcipuum religionis munimen, ac regularis diſciplinæ arx tutiſſima ſilentij cultus ſemper extitit; quem ideo antiqui Patres inter potiſſima ſanctitatis præcepta poſuere, eique ſummo ſtudio inhæſere. Quare & nos, vt tanti ponderis virtutem hoc etiam affectu proſequamur, noſtris omnibus ſilentium indicimus

2. Et primo quidem in his locis, nempe in choro, eccleſia, ſacrario, bibliotheca; locis communibus; ante cellas, in operibus communibus obeundis; ad menſam, & denique cum extra recreationis horas erit cauſa frigoris accedendum ad ignem, ſemper ſileatur; quod ſi neceſſe ſit verbulum aliquod proferre, voce ſubmiſſa loquantur.

3. Sed & ſtrictius vbique ſilentij lex obſeruanda erit his præcipuè horis, nempe veſpere à ſolis occaſu, ſigno dato, vſque mane ad ſolis ortum. Itidem in æſtate, poſt prandium, dato ſigno quietis, vſque ad orationem meridianam expletam. Hiſque horis occaſiones loquendi omnimoda ratione præcidantur, & vel in cubiculis, vel in eccleſia, quibus par eſt, deuotè, & quietè vacetur.

4. Reliquo autem diei tempore licebit quidem, cum neceſſitas exiget, breuem pauciſſimis verbis expediendum ſermonem proferre; longior verò ſemper vitetur, niſi Superior conceſſerit; elatam porro vocem omni tempore quiſque deuitet; vtatur verò non alia, quam ſubmiſſa, humili, & audientibus attemperata.

5. Proinde conuerſationes, confabulationes, vaniloquia, & id genus alia ſemper vbique ab omnibus caueantur: turpe enim eſt religioſum virum, cuius conuerſatio in cœlis eſſe debet, temporis vel minimum ſpatium humanis conuerſationibus ſic fruſtra conterere; ſat ſit ad animi remiſſionem communis recreatio, quæ ſtatis horis habenda eſt.

6. Sed ne his malis inuoluamur, vitanda cuique inutilis per domum euagatio, vitanda otioſitas, quæ cellæ faſtidium ingenerans

nerans, animum ad conuerſationem impellit. Superioris autem erit ſic otioſos per domum vagantes, & inanes miſcentes ſermones, ac tempore abutentes cōercere.

7. Vitandus quoque, ad maiorem ſilentij cultum, & conuerſationes arcendas, in alienum cubiculum ingreſſus; qui quidem omni modo, & omni alia ratione prohibitus intelligatur, nec is alicui, ſine Superioris licentia, licebit; &, qui ſecus fecerit, puniatur. Verum in infirmi cubiculum, vt intret quis, ſufficiat ſemel, eadem ægritudine durante, licentiam habuiſſe; id quod etiam de ingreſſu in concionatoris cubiculum, eo tempore, quo in quadrageſima, & in reliquis temporibus, quo die concionem habebit, intelligatur; dummodo non plures quam tres aut quatuor ſimul ibi conueniant. In ipſius autem Superioris cellam, ſicut & Vicarij (quam ſemper ipſis præſentibus cuique ingredi licebit) nemo ſit, qui, ipſis abſentibus, intrare audeat.

8. Tandem ſilentij lex hac etiam ratione inter profeſſos, & nouitios ſeruanda præſcribitur, vt qui profeſſi extra nouitiatum degunt, nullo modo cū iis colloquantur, neque cum eis conuerſentur, etiam recreationis tempore, nec illi quidem qui ipſorum ante confeſſiones exceperint; quique, vt ingrederentur bonam dederunt operam, aut aliqua cum eis patriæ, vel ſanguinis propinquitate ſunt coniuncti.

CAPVT XVII.

De modeſtia exteriori.

1. Modeſtiæ virtus, quæ, ex præcipuo munere, exterioris hominis compoſitionem dirigit, eiuſque motus moderatè diſponit, ſic diligenti ſtudio ab omnibus excolenda erit, vt in ea totius Religionis decus, & ornamentum effulgeat. Quare & in ſe ipſis, & erga alios eam exactè ſeruabunt.

2. In ſeipſis quidem ea ratione, vt omnes, qui affectationem, vel animi remiſſionem, aut etiam elationem præ ſe ferunt, motus in inceſſu, in geſtu, in ſeſſione, in loquutione, & in huiuſmodi alijs quàm maximè deuitent: præſertim verò in publicis functionibus (in quibus Deo, & hominibus ſpectaculum fiunt) caueant, ne vel geſtus, vel motus aliquis talis ſit, qui ædifica-

ficationem apud omnes non pariat.

3. Erga alios verò ſic quiſque modeſtè ſe gerat, vt nec diſſolutione, nec ruſticitate eos offendat. Deſpectionis actus, verborum contentiones, actionum importunitates, vultus aſperitates, & id genus alia abſint à noſtris: facilitate autem ad conſentiendum alijs; comitate ad attemperandum ſe omnibus, promptitudine ad ſe honore præueniendos, præcellere pia æmulatione conentur. Inuicem ſibi loco cedere, maioribus aſſurgere; obſequij ſigna eis exhibere omni tempore conſueſcant.

4. Reliqua ad vrbanitatem, & modeſtiam ſpectantia non ſunt hoc loco in particulari præſcribenda; ſed omnibus tamen illud incumbet, vt quas, nouitiatus tempore, didicerunt modeſtiæ regulas, eas obliuioni ne tradant, ſed pari diligentia ſeruent.

CAPVT XVIII.

De charitate inuicem habenda, & vniformitate ſeruanda.

1. COmmunis viuendi ratio, qua regulares viri vnius moris cohabitantes in domo vnum corpus in vna ſpe vocationis efficiuntur, vno tantum charitatis vinculo copulata ſubſiſtit. quod quidem ne aliquo modo diſſoluatur, ea omnia quiſque deuitet, quæ vel minimam fratri moleſtiam parere poſſunt.

2. De alterius natione, vel patria nemo quidquam ſiniſtrè loquatur, aut alio modo ſiniſtrè ſentire demonſtret. Imo ijs ipſis extraneæ nationis fratribus præcipua dilectionis ſigna exhibere quiſque nitatur.

3. Ne verò vel minima violandæ charitatis detur occaſio, nemo in alterius officium ſe temere ingerat; nemo ex officinis, ſine conſenſu eorum, quorum curæ demandatæ ſunt, vel ſine Superioris licentia, aliquid accipere poſſit; qua etiam ratione in alterius cubiculum, ſiue is præſens ſit, ſiue abſens, nullus ingrediatur, aut inde aliquid, abſque facultate Superioris, accipiat, grauiſſimè, ſi contra fecerit, puniendus.

4. Præterea Superioris authoritatem in alios ſibi ſumere, eoſque iubere, aut obiurgare nemini liceat; quin potius vnanimi

nimi

nimi conſenſu ſuperiores ſe inuicem arbitrantes, inuicem ſibi obſequia præſtent, inuicem ſe orationibus adiuuent, ac viciſſim alterius miniſter effici quiſque nitatur: exemplo Chriſti Domini, qui de ſeipſo ait; *veni miniſtrare, & non miniſtrari*: fraternæ tamen correctionis iura piè ſemper obſeruent.

5. Sed tandem quia vniformitate gaudet charitas, & per eam ſtrictiùs copulatur, enitendum nobis erit, vt ſolliciti ſeruemus vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis: adeo vt (quoad eius fieri poterit) iuxta Apoſtoli monitum, idem ſentiamus, idem ſapiamus omnes, eiuſdemque moris ſimus, & videamur vnanimes; & eapropter in choro, in menſa, victu, veſtitu, cubiculis, doctrina, & in huiuſmodi alijs diuerſitas euitetur, & perſonarum acceptio arceatur; & potius vniformitas, & æqualitas ita eluceſcant, vt communiter communia onera ſubeantur, communiter communia exercitia actitentur: quamuis habenda ſemper ſit valetudinis, ætatis, officiorum, ac munerum ratio; id quod conſiderare Superioris erit, qui prudenti diſcretione, quæ, cuique conuenient, coaptabit.

CAPVT XIX.

De charitatis munere erga infirmos, & defunctos fratres.

1. INter præcipua charitatis munia, quibus inuicem copulati inuicem ſubleuamur, præcellens, & meritò commendatur illud, quod infirmis, ac defunctis exhibetur, & id ipſum oportet, vt inter noſtros feruenti ſtudio exerceatur.

2. Quare quod attinet ad infirmos, ſic eorum curationi intendatur, vt verè pateat charitatem ipſam hoc miniſterio fungi.

3. Idcirco locus vnus aptus, & idoneus officinis, & ſupellectibilibus commodè aptatus pro valetudinario in ſingulis noſtris domibus conſtituatur, in quo religioſus quiſque curetur: infirmarius item, charitate præditus, qui, vbi fieri poteſt, ſacerdos ſit, infirmorum curæ præficiatur: cui etiam vnus, vel plures alij clerici, ſiue laici coadiutores adiungantur, vt labores faciliùs portentur, & ægroti diligentius curentur; medicus inſuper vnus communis omnibus à Superiore eligatur,

non

non tamen alius, ſine eius licentia, adhibendus erit.

4. Proinde cum noſtrûm quis ægrotauerit, ſiue ſacerdos fuerit, ſiue clericus, aut laicus, caueat, ne quid ad ſui curationem intentet, aut medicum vocet, inſcio Superiore, & infirmario; ſed ipſi potius infirmario ſuam ſtatim nunciare teneatur infirmitatem; quam ſimul atque intelliget infirmarius, ægrotum verbis, & ope alleuet; &, ſi cenſeat rem eſſe alicuius momenti, Superiorem admoneat, ac de eius licentia medicus aduocetur: ægrotum autem è ſua cella in valetudinarium ſiue ducat, ſiue aſportandum curet, ibique eius curationi diligenter inuigilet, iuxtà ſui officij regulas.

5. Porro Superiori incumbet, vt infirmi potiſſimum blandè, & cum charitate tractentur, eos inuiſet ipſe vel quotidie, vel alternis ſaltem diebus; moneat vt initio morbi confiteantur; curet, vt pro illis quotidie orationes à nobis fundantur; caueat ne ſe parcum in expenſis exhibeat, in quibus potiùs vt infirmi curentur effuſa charitate largum ſe præſtare debebit; etſi pignori aliquid tradere neceſſe foret, vel quouis alio modo cum diſpendio prouidere: ſed & Vicario præſertim curæ ſit, quotidie intendere, an quidquam infirmis deſit, & an rectè ſuum infirmarius obeat munus.

6. Cæteri autem religioſi pia æmulatione contendentes, ægrotum, quo poterit quiſque modo, adiuuare nitantur; præcipuè apud Deum precibus; ei verò miniſtrare, quando opus erit, non recuſent, ita tamen, vt, cum ad eum inuiſendum accedunt, non plures tribus (infirmario & ſocijs demptis) conueniant; ſed & qui conuenerint, ne longiùs, quàm par eſt, ſermonem protrahant, aut inutilia verba profundant, ſed ſolummodo proferant, quæ ægrotum in Domino conſolentur.

7. Prætereà verò ægroti partes erunt infirmitatis onus patienter ferre, infirmario, ac medico libenter obedire, ſui ipſius curam Superiori, eiuſque miniſtris tradere, à querelis animum cohibere, & intima cordis reſignatione donum Dei infirmitatem, non minùs quàm ſanitatem æſtimare.

8 Adhæc ſi naturalibus balneis, vel aëris, locique mutatione ægrotus, de medici ſententia, indigere videatur, id quidem concedatur, ſed tamen de Prouincialis licentia, qua habita, benè comitatus proficiſcatur ægrotus. Si vrgeat neceſſitas, Superior de Conſultorum voto licentiam dabit: tum Prouincialis fiat certior.

9. Iam verò de ſpirituali ægroti ſalute illud præcipuè decernimus, vt in lectulo decumbenti ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, ſaltem octauo quoque die, quàm decentiſſimè deferatur. Ingraueſcente verò ęgritudine, ſedulò curent Superior, & infirmarius, vt ei ſacramenta omnia maturè, & antequam iudicij vſum amittat, miniſtrentur; tum verò adſtent ægroto cum morbo conflictanti, eumque piè, & leniter ad tolerantiam, & Crucifixi imitationem, ad cæleſtium rerum deſiderium, mundique contemptum adhortentur; id ipſum viciſſim faciant, quando opus erit, alij religioſi. Poſtremò verò ad moribundum, & extremo iam ſpiritu fatiſcentem, ſigno dato, conueniant omnes, & migrantem animam, alij pijs monitis contra inſurgentes tentationes roborent; pſalmis, & orationibus alij proſequantur.

10. Quoniam autem, vt inquit Apoſtolus, vera charitas numquam excidit; idcirco ſi viuentes fratres opere, & veritate diligere præcipimur, æquum eſt, vt in eoſdem vita mortali, & laboribus functos dilectionem exhibere numquam ceſſemus. Cum primum igitur quis noſtrùm ſpiritum exhalauerit, abluatur cadauer, mox decenter ſua quiſque veſte induatur, clericus clericali, laicus verò, quæ laicis conuenit: tum infirmario vnà cum æditio curæ ſit, vt ſpatio diei naturalis in cubiculo, vel ſacello, cuſtode adhibito, aſſeruetur; niſi citiùs, ob tetrum odorem, ſepulturæ mandandum videretur. Opportuno verò tempore deferatur in eccleſiam funus; officium defunctorum integrum in choro ſolemniter cantetur; miſſa ſolemnis, ac ſepulturæ officium, ad noſtri ritualis præſcriptum, celebrentur. Conſtituenda autem erit in choro, vel ſacrario, vel in alio quouis decenti loco ſepultura vna pro noſtris, in qua externi alij, ſine graui ratione, & ſine Prouincialis, ſuorumque aſſiſtentium facultate ſepeliri nullatenus poſſint. Proinde ſinguli ſacerdotes
d.37. R. n.1.2. pro fratre iam defuncto miſſæ ſacrificium ſex vicibus offerant: ſinguli clerici ſexies officium defunctorum integrum recitent; ſinguli item laici ſex B. Virginis coronas.

11. Sed & defuncti obitus in peculiari libro conſcribatur, & cæteris ac ſingulis eiuſdem Prouinciæ domibus nuncietur, & in earum qualibet integrum defunctorum officium in choro, & miſſa ſolemnis, necnon & preces, iuxta tumulum in eccleſia collocatum, ſolemniter perſoluantur. Tum verò ſacerdotes ſinguli eiuſdem Prouinciæ pro eius anima ter ſacrificent: atque ter

ter officium defunctorum integrum quiſque clericus dicat; & ter inſuper quilibet laicus B. Virginis coronam.

12. Si quis tamen iter agendo moriatur; ea domus, pro cuius rebus agendis profectus fuerat; vel, ſi pro alicuius domus vtilitate non fuerit iter arreptum, ea ſaltem domus, cui aſſignatus eo tempore erat, perinde ei officium, miſſaſque perſoluat, ac ſi ibi mortuus eſſet.

13. Pro Patre autem Generali defuncto, omnes totius ordinis; & pro Patre Prouinciali ſuæ tantùm Prouinciæ domus idem faciant, quod ea domus, in qua quis noſtrùm moritur. d. 37. R. n. 2. Pro Patrib. gubernij generalis.

14. Cæterum alijs quoque ſuffragijs, vt noſtros defunctos proſequamur, completæ charitatis affectus iure expoſcit. Ideoque ſingulis menſibus, in ſingulis noſtris domibus veſperæ, & officium defunctorum cum vno nocturno in choro ſimul dicantur, & miſſa ſolemnis celebretur pro ijs omnibus in vniuerſum, qui ex noſtro ordine fuerint ad eam diem defuncti: & pro ijſdem omnibus ſingulis menſibus ſacerdotes ſemel ſacrificent, ac ſemel clerici officium defunctorum, & laici coronam B. Virginis recitent. Singulis verò annis tertio nonas nouembris pro ipſiſmet in vniuerſum, officium defunctorum integrum in choro, & miſſa ſolemnis, ac ad tumulum preces in qualibet noſtra domo celebrentur.

15. Sed tandem ex eodem charitatis affectu, in obitu communis omnium Patris, ſummi ſcilicet Pontificis, integrum in choro defunctorum officium, ac miſſa ſolemnis, & ad tumulum preces perſoluantur. Idem fiat in ea ciuitate, vbi eiuſdem Epiſcopus obierit.

CAPVT XX.

De ratione domo egrediendi, ac iter agendi, necnon & noſtros hoſpites excipiendi.

1. STatuenda erit in ſingulis noſtris domibus ianua vna, per quam omnes, quando opus erit, egrediantur, & ingrediantur; nec per aliam alicui, quàm per ipſam conſuetam ianuam egredi, vel ingredi licebit.

2. Ad eam ianitor deputabitur vir maximè charitate, & modeſtia, morumque integritate conſpicuus. In magnis verò do-

mibus duo ianitores deſignentur; vnus, qui prope ianuam; alter, qui religioſos, cum opus erit, ad eam aduocet.

3. Sed & ſemper clauſa, eo ſolum tempore aperiatur, quo quis ingreditur, vel egreditur; claue vna obſeretur, quam interdiu ianitor habeat, nocte Superiori conſignetur; nec alia cæteris permitti debebit. Ibidem tintinnabulum ſit, ad ianitorem conuocandum; tabella item, in qua religioſorum in ea domo degentium nomina ſint deſcripta.

4. Cæterùm domo, ſine cauſa, & ſine Superioris licentia ſingulis vicibus impetrata, ac ſine comite, quem Superior ipſe præfiget, nemo egrediatur; quamuis fratres laici, ſi ſic Superiori videbitur, incomitati egredi poſſint, non tamen cum ad eleemoſynas petendas, vel ob commoda propria egrediuntur: in his enim caſibus omnino comitati incedent; benedictionem inſuper, antequàm exeat quiſque, flexis genibus à Superiore petat, in quauis parte domus is extiterit, niſi in eccleſia ſit, in qua dumtaxat licentiam petijſſe ſatis erit; eidem quid quiſque foris acturus ſit, quòue iturus, ſignificet: abſente verò Superiore nemini detur egrediendi facultas, quam Superior ipſe ante non conceſſerit: ſi neceſſitas contra poſtulabit, dari quidem poterit facultas ab eo, qui Superioris loco præeſt, res tamen Superiori redeunti palam fiat.

d. 43. R. n. 3.

5. Proinde qui egredi debet, pallio indutus, & breui ad Deum, in deſignato loco, prope ianuam domus, oratione præmiſſa, inuertat ſui nominis tabellam, & cum dato ſibi comite egrediatur. Ambo verò, vt æquum eſt, in inceſſu modeſtiam, & ſenſuum cuſtodiam ſeruent, vnà ſemper incedant; feſtinationem, ac celerem motum, brachiorum ventilationem, & immodeſtos alios actus deuitent.

6. Et, cum domum redierint, oratione ibidem facta, benedictionem pari modo petant; &, ſi quid noui in via contigerit, quod Superiori priùs, antequam exirent, ſignificatum non fuerit, domum reuerſi ſignificent.

7. Iam verò nemini noſtrùm rheda per vrbem vehi vnquam, aut cum quoquam liceat, niſi à Superiore facultas fiat, quæ tamen raró, nec ſine graui ratione concedatur; & tunc rhedæ velis demiſſis incedatur: quod ſi forte accidat, quempiam noſtrùm à S.R.E. Cardinalibus, aut Sedis Apoſtolicæ Nuntijs, ſiue à proprio ciuitatis Epiſcopo, vt ſecum rhedam conſcendat, inuitari, tunc, ſi nullus erit excuſationi locus, obediatur.

8. De-

8. Denique extra domum in eadem ciuitate pernoctare, ſine vrgenti neceſſitate, & ſine Superioris licentia, nemo omnino poterit: quamuis, ſi rationabilis cauſa ſubſit, poterit Superior cuipiam ex noſtris ruri commorandi, ibique pernoctandi ad vnam quidem noctem abſque aliorum voto, ad plures verò de Conſultorum conſenſu, licentiam dare; ſocio tamen ei adhibito, qui ſacerdos ſit, vbi ſimplex clericus aſſociandus erit. Sed & ſi ad noſtrum aliquem ruri, vel alibi commorantem ægrotum quis inuiſendum adierit, ſecum ne pernoctet, ſed domum veſpere reuertatur, niſi loci longinquitas id prohibeat; in quo tamen caſu, cum ſcilicet præuideri poteſt, habeatur ante diſceſſum pernoctandi facultas, quam quidem eodem modo ad vnam ſcilicet noctem ſe ſolo, ad plures de Conſultorum placito Superior concedere poteſt. Nocte exeundi nemini detur licentia, niſi grauis vrgeat proxima neceſſitas. Porro veſpere claudantur fores; hac tamen ratione, vt ianitor eas cum alio comite à Superiore deputando claudat, & claues ad Superiorem ipſum deferantur; & apud eum maneant totam noctem. Atque hæc de domo egredientibus.

9 Modo ad iter agendi rationem tranſeamus. Et in primis in aliam ciuitatē, vel regionem, in qua opus ſit pernoctare, nemo proficiſcatur, abſque Prouincialis facultate. Si verò vrgebit neceſſitas, de Superioris, & Conſultorum, ac etiam viſitationis tempore, de Viſitatorum licentia proficiſcatur tum Pater Prouincialis fiat certior. Cæterum ex vna prouincia in aliam commigrandi, vt quis ibi velut aſſignatus viuat, facultas à ſolo Generali expectetur: negotiorum verò cauſa ſatis erit vtriuſque Prouincialis licentia Denique longinquę regionis iter, ad quod arripiendum, quoties ei fuerit à Generali iniunctum, ſe quiſque paratum exhibeat, præter Generalem ipſum, nemo alius Superior iniungere poterit; quinimo nec Generalis, ſine Aſſiſtentium voto, id poterit, ſi à profecturo religioſo de eo itinere requiſitus non fuerit in ſcriptis propria manu. d.41. R. n.2.

10. Porro nemo in aliam ciuitatem, vel regionem pernoctaturus, abſque ſui Superioris dimiſſorijs literis, eius ſubſcriptione, & Religionis ſigillo munitis, domo diſcedere audeat; &, ſi in aliā noſtram domum commigrabit, eas quidem eiuſdem domus Superiori legendas tradat. Sine his literis ſi quis quoquam perrexerit, grauiter puniatur. Vbi verò quis ijs vſus fuerit, eas (ſicut in vniuerſum cuiuſcumque alterius generis literas commendatitias, dimiſſorias, patentes, cōmiſſoriales) ad Superiorem deferat; De pœna accedentis ad vrbē. d. 42. R. n.2.

itidem

itidem faciat, ſi ijs vtendi nulla extiterit occaſio.

11. Præterea ſine Superioris licentia nemo quidquam ſecum exportet, neque etiam libros, niſi capitulum locale aperte conſentiat, & librorum nomina, numerus, tituli, & ad quam domum pertineant, antequã amoueantur, fuerint diſtinctè notati, vt facilè poſtmodũ recuperari poſſint: nihilominus tamen præter breuiarium, & diurnum, & propria ſcripta, poterit quiſque ſecum etiam ferre biblia ſacra, & libellum alium ſpiritualem. De reliquo autem ei de neceſſario viatico, & de equitatu prouideatur; veſtes viatoriæ ei dentur; quæ quidem ſemper in veſtiario adſeruari debebunt.

12. Adhæc qui peregrè profecturus erit, poſt recitatum clericorum itenerarium, deducatur ad ianuam domus, & cum beneuolentia, & charitate dimittatur. Si fieri poterit, ſolus nemo abeat abſque comite, aut ex noſtris, aut ex ſecularibus probatæ vitæ viro. Recta autem, quo tendit quiſque pergat; diuerticula, ſiue in itinere moras ne faciat.

d.43. R. n.3.

13. Proinde cum quis noſtrùm vel iter agens, vel itinere peracto ad eam ciuitatem aduenerit, in qua domicilium habemus, omnino caueat, ne in alia, ſiue ſeculariũ, ſiue religioſorum domo, aut quouis alio loco ſe recipiat, vel pernoctet, aut comedat; ſed recto tramite ad noſtram domum ſe conferat, eiuſque loci Præpoſito ſe in omnibus ſubdat. Prohibemus autem, ne quis obuiam noſtris eat, præterquam Patri Generali, & Patri Prouinciali.

14. Sed tandem expoſcit fratrum tantopere à Chriſto Domino commendata dilectio, vt cum noſtrùm quis ab aliqua regione, aut ciuitate ad eam, vbi nos degimus, domum ſe contulerit, omnia in eum humanitatis, & beneuolentiæ officia perſoluamus: vbi primum igitur alicuius noſtrùm aduentus per ianitorem innotuerit, is, qui peregrè aduenit, cum charitate excipiatur, ad cellam ducatur, veſtibus exuatur viatorijs; lineæ, & ſi quid præterea opus fuerit, ei exhibeantur, & humaniſſimè pertractetur, ſiue vt hoſpes, ſiue vt ei domui aſſignatus aduenit; per triduum, &, ſi longinquum fuerit iter, per octo dies, ad domus onera ſubeunda ne deputetur. Imo ei, per illud ipſum tempus, ad cibos communes alij adiungantur. Caueat autem ne, charitatis ſpecie, quæ ſunt obſeruanda, negligat, ne ſilentium violet, ne detrahat de abſentibus; poſt illud verò ſpatium, communis menſa ſit ei ſatis: & licet vt hoſpes aduenerit, chorum tamen frequentet, religionis regulas obſeruet, & onera ſubeat;

imo, quæ negotia tractaturus erit, ea quidem, non niſi ex eius loci Superioris licentia, geret; niſi aliter Pater Generalis, aut Prouincialis diſpoſuerit; omnino tamen ab eo egrediendi licentiam, benedictionem, & comitem habeat.

CAPVT XXI.

De ratione communicationis habendi per literas.

1. INter ea, quibus ordinatè ad nos ipſos dirigimur, literarum commercia, vltimo tandem loco reponimus, quæ ſanè, vt à recto regularis diſciplinæ tramite non deflectant, regularum præſcriptionibus diſponenda erunt.

2. Atque in primis nemo ſit, qui literas alicui, ſiue religioſo, ſiue ſeculari ſcribere, vel à quoquam vndelibet datas accipere, aut reſignare, aut legere vllo pacto audeat, quin eas tum à ſe, tum ſibi ſcriptas Superior legat, ſi velit, & probet. Superior tamen ipſe rationem habeat patrum antiquiorum, & qui probatæ ſunt virtutis, & grauia negotia pertractant: cum autem literas ipſe leget, alijs ne oſtendat.

3. Sed & ſex menſibus, ante celebrationem capituli generalis, cuique in vniuerſum, &, ante celebrationem capituli prouincialis, eius prouinciæ viris licebit ad quemlibet Patrem ex ijs, qui capitulo ſunt interfuturi, literas dare, & ab eis accipere, eaſque ne Superior legat. Id ipſum eo tempore eiſdem patribus capitulo deſtinatis licebit, & quas ſcribunt, vel accipiunt literas, non legat Superior; & idem ſeruetur cum in actu ea capitula celebrantur.

4. Porro Aſſiſtentium Generalis literas ab eis, vel ad eos datas quiuis Superior gubernationis prouincialis, aut localis nullatenus legat; eas enim legere, & aperire tantummodo Patri Generali licebit. Id ipſum de literis à Prouincialis Aſſiſtentibus ſcriptis, vel ad eos datis pari modo ſeruetur, vt ſcilicet eas Prouincialis legere poſſit. Cæteri verò localis gubernationis Superiores nequaquam. d. 3. R. n. 4. & 5. d. 6. R. n. 2.

5. Nouitiorum literas, vbi nouitiatus coniunctus habebitur, ſiue quas ipſi ſcribent, ſiue quæ ab alijs ad eos dabuntur, omnino videat nouitiorum magiſter, itemque Superior ſi velit; ita tamen,

vt Superior ipſe, quas ad nouitium ſcriptas accipit literas, eidem immediatè tradere nullo modo poſſit, ſed omnino eas prius magiſtro conſignet, ſine cuius etiam placito neque poterit ſcribendi literas nouitio licentiam dare.

6. Iam verò literæ, quæ ad Generalem, & mediatos alios Superiores ſcribuntur, quæque ab ijſdem ad ſubditos datæ accipiuntur, nullo modo ab immediatis Superioribus legantur, vel aperiantur, aut retineantur; nec ſubditus, vt ad eos non ſcribat, impediendus erit, ſed omnino libera relinquatur per literas inter eos communicandi poteſtas. Cæterùm ſi in literis ad Superiores mediatos datis ſecretum quid contineatur, quod ne alijs communicetur, qui ſcribit ſubditus velit, exterius in fronte hoc verbulum ab ipſo adijciatur; *ſoli*. Cum verò Superior aliquis ad
d.3.R.n. ſuum ſubditum ſcribet, in epiſtolæ ſuperſcriptione nomen ſuum
5. idem ipſe, qui literas mittit, Superior manu propria ſcribat: ita enim quis, ad quem ſcribit, prima literarum fronte patebit.

7. Literæ communes ſubditis à Superiore datæ, omnibus, ad quos ſpectant, vocatis, palam aperiantur, & legantur. Sed & quæ ad Generalem ſimul, & eius Aſſiſtentes in communi ſcribun-
d.23. R. tur, ſtatim Generalis coram Aſſiſtentibus aperire, & legere tene-
n.1: tur, & nullo modo ſolus ipſe vel aperiat, vel legat. Id ipſum
Quoad omnino de literis, quæ ad Prouincialem, & eius Aſſiſtentes, & de
impenſas n. 2. ijs, quæ ad Præpoſitum, & eius Conſultores in communi ſcribētur, intelligere oportebit. Atque in hac parte tum Præpoſiti, & Prouincialis tum etiam ipſiuſmet Generalis conſcientias onera-
d.15. R. n.1.& 2. mus: & ſi contra fecerint, voce actiua, & paſſiua, poſtquam ſuo officio fuerint perfuncti, ad triennium priuandos eſſe decernimus, & ſub eiſdem pœnis mandamus, vt literæ, quæ ad capitulum generale, vel prouinciale ſcribuntur, nequaquam à capituli Præſide, vel Præpoſito Generali, aut Prouinciali impediri, vel aperiri, aut legi quouis prætextu poſſint, ſed omnino in ipſomet pleno capitulo, coram omnibus, aperiantur, & legantur.

d.14. R. 8. Porro in literis omnibus conſcribendis formæ quædam, &
n.5. locutiones, ac figuræ, & cæremoniæ, ſecularem potius morem præ ſe ferentes ne miſceantur: inutilia, & inania, & quæ affectationem ſapiunt, omnino deuitentur; & non ſolum in eo quod ſcribitur, ſed in modo ipſo ſcribendi religioſæ modeſtiæ decus effulgeat.

9. Proinde quas quiſque ſcribit, non alio poterit communi-

re

re ſigillo, quam communi totius Religionis; quod ſolummodo, penes Superiorem, Procuratorem generalem, ac Secretarium cuiuslibet gubernij erit; nō vero penes alios. Proprium autem ſuæ familię inſignibus inſculptū ſigillū nemini omnino habere licebit.

CAPVT XXII.

De quarto mediorum genere, quod continet ea, quę erga Superiores, Religionem, & eius ſtatuta ſunt gerenda.

1. PErfectionis iter, diuina comitante gratia, proſequentes, non ſatis eſt, ſi ad Deum, & ad nos ipſos ordinemur; oportet inſuper, vt erga Superiores, religionem, & eius ſtatuta dirigamur: hæc enim omnia regularis ſtatus expoſcit, vt ſanctitatis plenitudo ex omni parte ſubſiſtat. Quare in vniuerſum ſic erga eos nos gerere oportebit, vt Superiores, velut patres; religionem, velut matrem; leges, & ſtatuta, velut noſtram in terris hæreditatem habeamus.

2. Proinde quæ in particulari ſingulis ipſis debemus, per ſequentia capita præſcribentur: curent verò omnes ea exactiſſimè obſeruare, intelligantque totius religionis munimen omnino vaciliare, ſi hæc non firmiter ſtabilita ſeruentur.

CAPVT XXIII.

De ijs, quæ erga Superiores ſunt gerenda.

1. PRætermiſſa obedientia, quam aptiori loco inter ſolemnia vota repoſuimus, ibique latè præſcripſimus; primo hic nobis quidam alij dependentiæ actus ſe offerunt; quos ſanè ad tria capita reuocamus; nimirum ad benedictiones, ad licentias, & ad ſigna: omnino enim multa erunt, quæ ſine ſuperioris vel benedictione, vel licentia, vel ſigno dato agi non poterunt: & ea omnia in particulari ſuis quæque locis ſtatuuntur. Hic verò in vniuerſum decernimus, vt benedictiones, quando petendæ erunt, flexis ſemper genibus petantur, præterquam cum nouum aliquid

d.3.R. n. 3.& d. 6. R. n. 2. & d.3. c. g.18.& d. 13. c. g. 19.

vtendum accipimus: licentiæ autem ne exorqueantur: nam *extorta, ſeu coacta licentia*, vt Bernardus docet, *licentia non eſt, ſed violentia*: ſigna demum, cum neceſſaria erunt, omnes expectent.

2. Sed vlterius venerationis, ac reuerentiæ, actus proſequentes, cauendum primo cuique erit, ne aliquo modo cum ſuperiore contendat; quæ horrenda prorſus, & execranda eſt irreuerentiæ turpitudo; imo ſi quis à ſuperiore obiurgatur, ſtatim genuflexus, demiſſis oculis, & tacens ſe corrigi ſinat, neque ſurgat, donec ab eo ſurgendi ſignum accipiat: quod ſi ab ipſo tunc temporis interrogetur, ſic ſe gerat, vt reſponſio humilitatem, & reuerentiam, vt par eſt, redoleat.

3. Proinde qui ſacerdos ſecundi gradus non fuerit, detecto capite, cum ſuperiore loquatur, nec ſe cooperiat, vel eo præſente ſedeat, non expectato ſigno; ſed & omnes, cum obuiam eis quiuis ſuperior occurret, vel ipſis ſe inferet, aſſurgant, conſiſtant, & reuerentiam ei, capitis inclinatione, exhibeant.

4. Quæ tamen omnia, & id genus alia ad venerationem ſpectantia, vt facilius obſeruentur, ſtudeant ſinguli in ſuperiore Chriſtum Dominum (cuius ille obtinet vices) fidei obtutu inſpicere, & erga eum ſic ſe gerant, vt, veluti Chriſto, deferentes, reuerentiali timore, pariter & amore, ei ſubiaceant, & actus omnes, qui vel minimam irreuerentiam ſapiunt, omni diligentia vitent. Ipſius autem actiones, vel dicta iudicare, ſicut & verbis, ſignis, aut factis eum contemnere, eique detrahere, vitia ſunt, quorum quidem vel ipſa ſpecies merito vitanda erit: & profectò boni religioſi partes erunt ſui ſuperioris, quos forte in eo inſpexerit, defectus, reuerenti charitatis affectu, ſub velamine contectos ab aliorum oculis ſubtrahere, attrahere verò omnes ad eius virtutes inſpiciendas.

5. Iam verò ſicut ſuperiori reuerentia, & honor; ita ipſi quoque, vt patri filialis fiducia debetur. Quare fiducialiter quiſque agens ad eum, in omni, qua premitur moleſtia corporis, vel animæ libens confugiat, eique ſui cordis deſideria libenter aperiat; ſemper tamen reſignatus, & indifferens eo propendere ſit paratus, quo ſuperioris iudicium, & voluntas inclinant, &, quæ dixerit, tamquam Dei voce prolata, ſuſcipiat: Dei enim loco nobis præeſt ſuperior, & diuinæ eſt voluntatis interpres, adeo vt qui eum audit, Deum audiat. Hinc verò ſi quæ petijt à ſuperiore, denegata ei fuerint, à maiore ſuperiore eadem ne petat, niſi

prius

prius illi patefecerit alterius ſuperioris denegationis reſponſum.

6. Denique illud præcipuè ſuperioribus noſtris debemus, vt ſcilicet pro ipſis peculiares ſingulis diebus ad Deum preces fundamus, quatenus dignetur Dominus ſpiritu principali eos in bono regimine confirmare.

CAPVT XXIV.

De ijs, quæ erga Religionem, eiuſque leges ſunt gerenda.

1. Religionem eo quiſque proſequi, & amplecti debet affectu, quo ſolet filius matrem, à qua ſe multis laboribus ali dignoſcit: vnde ei fide inuiolabili adhærere, in eius ſtatu conquieſcere, eius incrementa appetere, eius omne bonum promouere, debita ſunt, quæ ab omnibus, vt perſoluantur, exigit hic filialis affectus.

2. Proinde nomen eius, & fama vt quotidie celebrior inualeſcat, ſingulis enitendum; ac propterea defectus, errores, & mala quælibet, quibus fortè religionem intus aliquo modo maculari contingat, ſic tacitus quiſque ſilentio inuoluat, vt foras ad externorum aures peruenire ne minima quidem ratione queant. Et profectò religionis acerrimus inimicus, & deſtructor eſſet, ac, vt talis grauiſſimè puniendus, qui eius maculas alijs patefacere non erubeſceret. d. 17. c. g. 19.

3. Iam verò, quamuis religioni omnia amoris iura perſoluere teneamur, nemo tamen ſit, qui gratiam, vel priuilegium, ad eius licet commoda ſpectans, Romæ impetrare, inſcijs, vel inuitis Generali, eiuſque Aſſiſtentibus præſumat; & qui ſecus fecerit, eorumdem arbitrio grauiter puniatur, ſed & ipſi Generali, ſine Aſſiſtentium voto, ea etiam impetrare nequaquam licebit. d. 1 R n. 3 & d. 48.

4. Sed ad ea, quæ legibus debentur, tranſeamus; atque in primis quas religio habet, quocùmque nomine, ſiue conſtitutionum, ſiue regularum, ſiue rituum, ſiue quouis alio vocentur, ſic ab omnibus amplectantur, vt tamquam à Deo præſcriptas in cordis medio quiſque reponat, omnimoda in eis complacentia conquieſcens. Nemo autem ſit, qui contra illarum aliquam ſiue verbis, ſiue ſignis, aut quouis alio modo ſe propenſum eſſe oſtendat; ſed & pro comperto habeant, diabolum, quo regulares vi-

ros ad ſummam calamitatem pertrahere queat, conatu præcipuo niti, in eorum cordibus diſplicentiæ contra religionem, ac leges ſerere ſpinas.

5. Cæterum illud, quam maximè cauendum, ne legibus fundata religio, legibus corruat; quod ſanè tunc accidit, quando debita earum cuſtodia, vel omnino deeſt, vel nutat, aut vacillat. Quare ſedulo curent ſic eas plena obſeruantia retinere, vt non faciles aut leues ſint, vbi ſe occaſio tulerit, ad inobſeruantias prolabi. Quas proinde, ſi quoquo modo patrarint, culpæ profeſſione, in refectorio medio diluendas ſibi eſſe cognoſcant. Sed & ſuperiorum vigilantia hìc vigeat oportet, qui certè, vbi ſubditi ſuauiter in legum obſeruatione permanere neglexerint, eos correctionum, & pœnitentiarum vſu ſub diſciplina coërceant: vt vel ſic perſuadere ſibi poſſint, omnino eis leges noſtras obſeruandas eſſe. Et vniuerſaliter omnes, vel ſeniores ipſi, ſub hoc rigore continendi erunt, quando id poſtulabit occaſio: nec tamen ſibi quis putet in aliquo detrahi, ſi publicis pœnitentijs, & correctionibus, quas patrauit, inobſeruantiæ diluantur. Caueantque, ne rigorem eſſe exiſtiment, rigidóſque putent ſuperiores, eo quod exactam petant obſeruationem legum, & in ea vrgenda veluti conſpirent. Ipſorum potiùs voluntati, atque conatui ſe aptantes, nihil omittant, quod faciendum eis ex legibus incumbit: quo ſanè fiet, vt vnanimi conſenſu tam ſuperiores, quam ſubditi, iuſto zelo feruentes, in vnam, ad Dei gloriam, obſeruationem intendant: nec enim leges ſcripſiſſe ſufficit, niſi opere ipſo compleantur.

d. 49. R. n. 3.

6. Adhæc nemo prorſus ſit, qui ab alicuius legis obſeruatione, quocumque prætextu, vel titulo ſe immunem excipiat: ſed omnes humero vno, Domino ſeruientes, vnum portent commune legis onus. Præcipuè verò ab exercitijs communibus nemo, ſine ſuperioris licentia, abeſſe præſumat. Quæ tamen perſonæ ab aliquibus oneribus ſint exemptæ, dicetur ſuo loco.

d. 14. c. g. 19.

7. Poſtremo vt facilius hæc debita legum obſeruatio promoueatur, ſingulis præſcribitur, vt, quæ omnibus obſeruandæ incumbunt, priuatim ſæpius legere, & meditari conentur. Sed & regulæ, & obſeruantiæ communes, dum alij ad menſam adſident, ſingulis menſibus legantur; conſtitutiones autem in communi nequaquam.

8. Sed inſuper conſtitutiones nemo alius apud ſe habebit, præter quā capitulares cuiuſcùmq; vocis: ij verò alijs religioſis nullatenus

d. 4. c. g. 19.

nus commodent. Proinde nemo ſit, qui, ſine expreſſa Superioris eiuſque Conſultorum licentia, leges noſtras, quocumque nomine vocentur, externis alijs legendas tradat.

CAPVT XXV.

De quinto mediorum genere, quod continet, quæ ad noſtram erga proximos directionem attinent.

1. INſtituti noſtri rationem debito ordine legibus diſponentes, ex præcipuis eius partibus, vnam hanc, qua erga proximos ordinamur, iam præſcribendam aggredimur. Eam verò ab ijs incipiemus, quæ, vt noſtræ perfectioni parum conſentanea, vitari merito debent: ideòque receſſum à conuerſatione inutili, & à rebus, & negotijs ſecularibus indicimus. Poſteà verò, quæ ad proximorum iuuamen, ex inſtituto, nobis amplectenda erunt, proſequemur.

CAPVT XXVI.

De receſſu à rebus, & negotijs ſecularibus.

1. INter cæteros religioſæ vitæ fructus, ille eſt valdè optabilis, qui à mundi tumultu longè abductam hominis mentem cœlo ſiſtit, Deòque vnit; vt merito quiſque noſtrùm ſibi conſulere, ac ſedulo proſpicere debeat, ne, quem Deus à turba ſeculi, rerùmque colluuie ſemouit, is poſtmodum ab hoc tranquillo portu, mente diuulſus, rerum ſecularium, & negotiorum fluctibus, ac mundi ſollicitudinibus obruatur. Ne igitur in has miſerias incidamus, mundanæ conuerſationes, & occupationes (quoad eius fieri poteſt) reijciantur, nihilque terrenæ ſollicitudinis admittatur.

2. Quod vt faciliùs aſſequamur, nemo noſtrùm, ſine Superioris licentia, cum ſecularibus colloquatur; ſed ſi ab ijs obiter quis interrogatus fuerit, neque tunc vacet adire Superiorem, pauciſſimis ſe expediat, & rem omnem poſtea Superiori renunciet. Excipimus verò confeſſarios, concionatores, lectores, & capitulares, quibus abſque licentia cum ſecularibus colloqui

licebit. Cùm mulieribus tamen, ſine licentia, non colloquantur, qui nondum ad earum confeſſiones excipiendas ſunt expoſiti. In vniuerſum autem ab omnibus diutini ſermones, crebri congreſſus, & inutiles conuerſationes cum ſecularibus deuitentur: nam grauia inde oriuntur pericula, & facilè animus ad negotia ſecularia, & ea, quæ mundi ſunt, prolabitur. Cæterum quibus ſine Superioris licentia cum illis colloqui non licet, ij ad domus ianuam non vocati ne accedant. Sed illud inſuper vnuſquiſque caueat, ne externos, ſine Superioris licentia, ad cellam ſuam, aut per domum ducat; neue ijs, quæ domi acta ſunt, vel gerentur, referat, niſi dumtaxat quæ ædificationem parere poſſunt.

3. Proinde cum mulieribus, etſi religioſæ, & ſanctæ videantur, aut propinquæ ſint, conſuetudo, & familiaritas nullo d.19. R. nu. 3. & d. 35. R. n. 4. modo ineatur; eas domi viſitare, niſi Superior conceſſerit, nemo audeat: ſed & Superior non niſi difficilè, & raro, ac rationabili ex cauſa, neque tamen promiſcuè omnibus id concedat: qui verò eas inuiſit, deſignatum ſibi à Superiore ſocium præſentem ſecum retineat, & nullo modo ſolus cum ſola ſit. Quod ſi cum ea ſecretò aliquid eſt tractaturus, ibi maneat ſocius, vbi conſpicere, non autem, quæ ſecretò communicantur, audire poſſit; ſic enim & proximorum ædificationi, & religioſæ decentiæ non parum conſulitur. Sed & Superiores, vt omni tempore hæc obſeruatio accuratiſſimè vigeat, diligenter intendant.

4. Iam verò, abſque Prouincialis facultate, nemo cum aliquo ſpiritualem affinitatem baptiſmi, vel confirmationis ſacramento contrahere poſſit; quamuis ad baptizandum Superioris licentia ſufficere debet. Nemo teſtamentorum executioni ſeſe immiſceat. Nemo negotium geſtoris, aut tutoris, vel curatoris ſuſcipiat. Nullum item matrimonium, ſine Superioris licentia, per nos procuretur. Præcipuè verò prohibemus aliquem noſtrum in cauſa criminali, vel in lite ciuili teſtimonium ferre, niſi planè ab eo coactum, qui cogere iuſſu poterit. Superiores autem noſtri ne id permittant, præterquàm in cauſis catholicæ fidei, & huiuſmodi cæteris valde pijs, atque à partium offenſione remotis: dedecet enim, ob religioſi viri teſtificationem, ſuorum bonorum quempiam, aut famæ detrimentum pati.

5. Porro in vniuerſum vt à mundanarum rerum tumultu ſimus, quàm maximè fieri poteſt, alicui, non ſinant Superiores

quem-

quempiam in ſecularibus negotijs ſeſe facilè admiſcere: ſed ſua ſecularibus negotia ipſis gerenda relinquamus: niſi vbi charitas, vel vehemens alia ratio aliter ſuadeat; quo tamen caſu gerendum, aut expediendum negotium, quantumuis pium, & religioſo viro dignum, ſine expreſſa Superioris licentia, ne ſuſcipiatur.

6. Sed & inſuper ne temporalium ſollicitudine diſtrahamur, lites forenſes deuitentur à noſtris. Ideoque non licebit Superioribus abſque Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium facultate contra externos litem intentare. Quæ proinde è contra ſi ab externis contra nos agitetur, enitendum erit, vt prius quàm liti reſpondeatur, ſi tamen commodè fieri poteſt, conſulatur Prouincialis, à quo, re cum Aſſiſtentibus deliberata, reſponſum expectetur, num lis ſit proſequenda, vel ei ſit cedendum, vel etiam qua ratione ſit in ea procedendum: quod ſi id prius fieri nequit, omnino quamprimum fiat.

Cæterum curandum ſemper erit, vt lis quamprimum, ſi fieri poteſt, compromiſſione, vel alio modo, de Prouincialis tamen, ſuorumque Aſſiſtentium licentia, componatur.

7. Denique receſſus hic à mundi conuerſatione, & à ſecularibus rebus, illud etiam expoſcit, vt ſeculares ipſi difficilè, & perraro domi noſtræ cohabitare permittantur: quamuis in hac parte magna ſit opus prudentia, quę certis regularum limitibus arctari non poteſt, ſed ſatis ſit in vniuerſum hæc decernere;

Primo ad longum tempus vt nobiſcum cohabitent, vel viuant, non niſi inſignes viri; vt qui de religione bene meruerint, vel ei non parua beneficia conferre diſponant; quos ideo gratitudine vt proſequamur, ius omne poſtulat; domi recipi poterunt: non tamen ſine Generalis, ſuorumque Aſſiſtentium beneplacito, necnon Prouincialis, & capituli localis eius domus, vbi cohabitationi eligitur locus.

Secundò, hoſpitio ſeculares domi noſtræ recipere, ad tres tantùm dies Prouincialis, itemque Præpoſitus Localis poterunt: ad plures autem dies hoſpitium prorogare, neque Prouinciali licebit, ſine Aſſiſtentium voto, neque Præpoſito, ſine Conſultorum conſenſu, ac Prouincialis etiam licentia, ſi in ea vrbe præſens ſit, vel ſaltem ſi abſens, conſuli facilè poſſit. Id quod ſi res non patitur, quamprimùm tamen, prorogato hoſpitio, certior fiat. d. 51. R. n.2.

Ter-

Tertiò, eccleſiaſtici, & religioſi viri recipi poterunt, præſertim ſi adeo ſancto viuant inſtituto, vt bono nobis eſſe poſſint exemplo.

Quarto, nullo vnquam tempore, nec vllo modo licebit, etiam ſi Generalis ipſe, & Aſſiſtentes velint, mercede, aut ſtipendio ſeculares velut conuictores, vt à nobis alantur, vel vt nobiſcum cohabitent, domi recipere. Sed verò pro his, qui hoſpitio domi noſtræ recipientur, idoneus à Superiore deſignetur ex noſtris miniſter, qui illis neceſſaria ſuppeditet; eccleſiaſticis verò, & religioſis viris, præter hunc, alius etiam bene morigeratus deputandus erit, vt eos, ſi neceſſe ſit, comitari poſſit: cæteros cum illis verſari ſine bona cauſa non ſinet Superior.

Poſtremò peculiarem locum, ad hanc externorum cohabitationem in ea parte domus deſignare oportebit, quæ à noſtris religioſis remotior, quoad fieri poterit, videatur.

CAPVT XXVII.

De Exercitijs vitæ actiuæ, ad proximorum iuuamen aſſumendis in communi.

1. EXimium illud piæ charitatis opus, quo proximorum ſaluti proſpicitur, vitæque actiuæ exercitatione complectur, cum, ex inſtituti ratione, ita noſtræ Religioni incumbat, vt inter eius munia hoc ſit vnum ex primarijs ſibi propoſitum, omni prompitudine erit à nobis gerendum.

2. Ita tamen, vt in domibus receſſus, quæ vitę contemplatiuę deſtinantur, & in ſeparatis nouitiatibus hæc actiua exercitatio non admittatur: verum, his exceptis, omnes aliæ domus, & collegia ad hoc munus deſtinata intelligantur: quamuis in collegijs non adeo completè eiuſdem vitæ ratio ſeruari poſſit.

3. Porro quæ ad hæc munia applicantur perſonæ, ſtudeant animarum zelum, qui operi vim tribuit, & incrementa miniſtrat, ita feruenter in ſe ipſis concipere, vt omnibus pateat eos in hoc opere vera eſſe charitate repletos. Sed verò, priuſquam huic muneri quis noſtrùm deputetur, præuijs documentis, & inſtructionibus circa praxim muniatur.

4. Cæterum charitatis ordinem, qua propriæ ſaluti proſpicere debet, non inuertat; nec enim animæ ſuæ cura abijcienda,

vt proximorum lucra perquirat. Quare ſic omnes attemperent exercitia, vt, quod aliorum ſaluti exhibent, propriæ non denegent; &, quod verbo docent, virtutibus roborent.

5. Denique illud iniungimus, vt, in his munijs exercendis, ab omni prorſus bonorum temporalium cupiditate, & auaritiæ ſpecie ſe noſtri alienos eſſe oſtendant, ſyncera charitate Dei gloriam intuentes. Vnde gratis omninò à nobis hæ actiuæ functiones exercendæ erunt, nec, vllo prorsùs modo, ſtipendia poſtulare licebit, vt ſic Apoſtoli veſtigijs hæreamus, qui ad Corinthios aiebat; *Non ero grauis vobis, non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos:* ea dumtaxat, quæ mero eleemoſynæ nomine deferuntur, accipi poterunt; & hæc quidem non priuati alicuius religioſi, qui munus exerceat, erunt, ſed ad communem vſum eius domus applicandæ, in qua opus proximo exhibetur, niſi à ſecularibus alicui domui fuerint in ſpecie deſtinata.

6. Illud poſtremo adiungimus, vt in exercitijs, quæ in eccleſijs noſtris gerentur, perſeuerantia retineatur, & prorſus abſit inconſtantia, quæ pium populi extinguit affectum, & turpem inſtabilitatis notam, non ſine maximo detrimento, nobis inurit. Sed & cultus eccleſiarum, adminiſtratio, & ritus ſic ſemper eluceant, vt facilè ad eas, frequenti concurſu, trahantur fideles; ex quo paratior nobis ipſos adiuuandi detur occaſio.

CAPVT XXVIII.

De ſacramentis proximo adminiſtrandis.

1. SEd iam peculiares functiones præſcribentes, prima nobis ſe offert ſacramentorum pœnitentiæ, & euchariſtiæ adminiſtratio; ad quæ ſane proximis exhibenda, magna ſemper promptitudine, noſtros paratos eſſe oportet.

2. Quod verò præcipua ratione ad ſacramenti pœnitentiæ miniſterium attinet, ad illud quidem non omnes promiſcuè aſſumantur, ſed omnino requiſitæ qualitates penſentur, & maturè agendo, delectus habeatur, vt ſcilicet idonei tantùm, qui conſcientiæ caſibus ſint probè inſtructi, & prudentia, & diſcretione, ac ſpiritu polleant, quique profeſſionem emiſerint,

deputentur; nouitios autem ſacerdotes nullo modo ad id munus aſſumi poſſe decernimus: quamuis, vbi grauiſſima ratio interceſſerit, qui approbatus, antequàm ingrederetur, ab Ordinario fuerit, à Prouinciali quandoque, ſed raró, ad ſecularium confeſſiones audiendas exponi poterit. Si tamen, dum in ſeculo morabatur, approbatus non fuerit, nulla ratione pro licentia ab eo obtinenda mittatur.

3. Proinde facultatem, vt noſtrùm quis ſecularium confeſſarius exiſtat, non omnium erit conferre, ſed id ad Generalem, vel Prouincialem ſpectabit, qui eam concedere poſſint, etiam ſi localis Præpoſiti requiſitio non præcedat. Scripto autem
d.35. R. n.1. hæc facultas tradatur, nec ſufficiet licentia à locorum Ordinarijs obtenta, quam adhuc ſine prædicta facultate nemo ſit qui impetrare præſumat.

4. Porro modus ad id munus noſtros aſſumendi talis erit, vt ſcilicet, antequam pro licentia à locorum Ordinarijs obti-
d.35. R. n.1. nenda mittantur, domi priùs à Superiore, & à Patribus Examinatoribus accuratiſſima diligentia examinentur, qui quidem Examinatores, duo erunt, vel tres à Superiore de Conſultorum voto deputandi, tam pro confeſſarijs, quàm pro ordinandis. Nemo autem ab hoc examine eximatur; id quod à quouis Superiore etiam Generali, indiſpenſabile prorſus erit. Sed & examen hoc domeſticum pro ijs tantum inſtituetur, qui nondum ſecularium confeſſiones in Religione audiuerint. Proinde habita ab Ordinario licentia, adhuc tamen, priuſquam ſuæ poteſtatis actū quis iam confeſſarius aſſumptus exercere incipiat, benedictionem ſemel in principio à Præpoſito habeat.

5. Iam vero perſonæ, quarū confeſſiones excipiētur à noſtris,
d.35. R. n.2. promiſcuè ſine exceptione omnes erunt. tam viri, quam mulieres, & etiam qui in lectis ægrotant. Verum ad mulierum confeſſiones audiendas ne facile ſacerdotes iuniores exponantur; ſed qui ætate & moribus ſint maturi. Cæterùm monialium confeſſiones audire noſtris nullo modo liceat, abſque vehementi cauſa; quæ vbi interceſſerit, non niſi Pater Prouincialis de voto ſuorum Aſſiſtentium licentiam dare poterit, niſi forſan, vt confeſſor extraordinarius quis vocetur; tunc enim Præpoſiti,
d.50. R. ſuorumque Conſultorum licentia ſatis erit. Sed & colloqui cum illis ſine ſui Præpoſiti, & Conſultorum facultate alicui noſtrùm non licebit. Et, qui temerè ſine huiuſmodi licentijs, vel cum eis colloqui, vel earum confeſſiones audire præſumpſerit, acti-

uæ,

uæ, & paſſiuæ vocis ſuffragio, in perpetuum priuetur, & per ſex menſes in ergaſtulo clauſus retineatur.

6. Sed vlterius de confeſſionis loco decernimus, vt mulierum confeſſiones, præterquàm in eccleſijs noſtris, non audiantur; niſi calamitas aliqua, vel ægritudo, vel alia quæuis vehemens ratio aliter poſtulauerit; & tunc ne ſolus cum ſola ſit, ſed comes ibi maneat, vnde poſſit ab eo conſpici. Virorum confeſſiones aut in eccleſijs noſtris, aut in locis ad id deſignatis audiantur. Sed & in noſtris eccleſijs confeſſionalia collocentur, & quidem in locis patentibus, ſingula pro confeſſarijs ſingulis, in quibus ſecularium confeſſiones excipiantur; ita autem collocata diſponantur, vt tam pœnitens, quàm ſacerdos conſpici facile poſſint.

7. Adhæc confeſſionis actus ita procedat, vt in eo, præſertim cum mulieribus confeſſarij longas moras ne faciant, nec longius æquo ſermones producant; ſed inutilia reſecantes, quod muneris ratio expoſcit, id tantum præſtare conentur; charitatem eis præcipuam exhibeant, eorumque ſaluti, pio affectu, incumbant.

8. Denique huius tam ſancti miniſterij vſus vt frequens ſit in eccleſijs noſtris adnitendum pro viribus erit: id enim animarum ſalus, quæ nobis proponitur, expoſcit; ideoque Prouincialibus curæ ſit, vt confeſſariorum ſufficiens numerus in vnaquàque exercitiorum, & collegiorum domo non deſit, ad ſecularium confeſſiones audiendas. Inſtituatur proinde quædam in templo veluti circularis reſidentia, vt ſcilicet confeſſariorũ, viciſſim in orbem, ibi adſideat vnus, duo, vel plures in ſingulos dies, prout numerum hunc Localis Superior de Conſultorum voto, ratione habita ad accurrentium concurſum, præfixerit. Et eo die, quo quis huic circulari reſidentiæ deputatur, mane vſque ad horam prandij, à templo non diſcedat; à prandio verò domi reſidens, ſtatim vocatus ad confeſſiones audiendas accurrat: nec ſine graui neceſſitate domo egrediatur; quod ſi egredi ſit compulſus, confeſſarium alterum, vt ſui vices gerat, omnino ſubſtituat. Cæterum in collegijs hæc circularis reſidentia non neceſſariò inſtituenda præſcribitur, ſed Prouincialis arbitrio relinquitur. d. 35 R. n. 3.

Porro dominicis, & feſtis diebus, in earum item vigilijs, in hebdomada ſancta, tempore iubilęi, & quotieſcumque populi concurſus id exigere videatur, omnes in ęccleſia reſidere, & li- d. 35. R. n. 5.

benter pœnitentię miniſterio animas Chriſto lucrifacere non deſiſtant. Demum omni alio tempore, vltra hæc iam præſtituta, ſe quiſque ad hoc munus paratum exhibeat; ſtatimque vocatus præſto adeſſe conetur.

CAPVT XXIX.

De verbi Dei miniſterio proximis exhibendo.

1. INter præcipua Religionis noſtræ munia, quibus proximorum ſaluti vacamus, verbi Dei adminiſtratio primarias vices ſibi iure vendicare videtur; quæ proinde populo variè exhibenda nobis incumbit. Primò euangelicis concionibus, de quibus hæc decernenda ſe offerunt; concionatorum ſcilicet requiſitę qualitates; concionandi impedimenta, facultas, præuia exercitatio, actus, modus, loca, & adiumenta.

2. Quod verò ad qualitates attinet, ijs ſolummodo hoc publicæ prædicationis officium committatur, qui & bonę indolis, & præclarę virtutis ſpecimen dederint; quique valeant non minus integritate morum, quam facundia, & eruditione prodeſſe; qui inſuper profeſſionem emiſerint, non enim nouitijs id munus aliquo modo licebit; & denique huiuſmodi ſint, qui philoſophiæ prius operam dederint, & ſacræ theologiæ lectiones, ſaltem per triennium, audierint; ſtudio item caſuum conſcientię ſedulò incubuerint; deque ijſdem, iuſſu Prouincialis, à duobus vel tribus examinati, & approbati fuerint; ac tandem qui ſacræ ſcripturæ, & in legendis Patribus ſaltem per annum vacauerint.

3. Sed vero impedimento erit, ne quis hoc munere perfungatur, in primis prædictarum in eo qualitatum defectus; tum inſuper ſi munus hoc nimis anxiè appetere viſus fuerit: tunc enim ei non tam facilè concedatur. Deinde qui in quadrageſima prædicandi onus ſubire minimè poterunt, quin ob infirmam, vel imbecillem corporis valetudinem, cibis quadrageſimali ieiunio vetitis vtantur, id etiam obſtabit, ne concionari eo tempore permittantur: niſi forte morbus accidat, vel niſi Prouincialis, grauem ob cauſam, cum eis diſpenſandum arbitretur.

4. Proinde publicè concionandi facultas à Prouinciali concedatur, ſed ijs ſolummodo, qui prædictis qualitatibus ſint luculen-

culenter inſtructi; quique præſcripta impedimenta, qua diximus ratione, non habeant. Sed & prius quam noſtri publicè prædicent, præuia quadam exercitatione ſe muniant. Vnde priuatis declamationibus inter communem refectionem, ſiue aliàs alibi, quaſi ſermonibus ad populum, de Præpoſiti licentia, declamitent. Et, vt valeant fructum ſibi exercitatione comparare, conſtituatur noſtrûm aliquis, concionandi arte peritus, qui illos inſtruere ex munere habeat, quique poſt ſingulas declamationes priuatim eos admoneat, ſi in aliquo defeciſſe conſpexerit; id quod etiam præſtabit, cum eorum quis publicè concionem habebit, vſque dum probè inſtructus euadat.

5. Porro in vniuerſum actus ipſe, & modus concionandi ſic procedat, vt in eo verborum affectationes, inutiles narrationes, vanæ oſtentationes, facetiæ, & id genus alia, quæ euangelicũ concionatorem dedecent, omnino vitentur. Et qui his intendens non reſipuerit, ei concionandi facultas ne fiat: proinde conciones huc dirigant noſtri vt animas Chriſto lucrifacere poſſint, &, charitatis ignem ſpirantes, apoſtolici viri auditoribus videantur. Denique ritum in concionis actu, vniformi obſeruantia, teneant omnes, eum ſcilicet, qui in libello de ritibus habetur.

6. Quod verò ad concionum loca ſpectat, in ciuitatibus quidem, vbi nos domicilium habebimus, æquum eſt, vt potiùs in noſtris eccleſijs, quam alibi noſtri concionentur: & adnitendum, vt ſemper in ijs quadrageſimæ, & aduentus tempore, alijſque dominicis, & feſtis diebus totius anni concio habeatur; ſitque propterea eccleſia noſtra verbi Dei ſeminarium, non domus orationis dumtaxat. In externorum proinde eccleſijs concionari nobis licebit, ita tamen, vt, ſi in eadem vrbe domicilium habeamus, concionator, vbi concionem abſoluerit, domum ad prandium, ſi tamen commodè id fieri poſſit, reuertatur: paulo verò ante tempus prædicandi, rectà proficiſcatur, nec deflectat de via. Porro concionatores ad prædicandum per loca diſtribuere Prouincialis erit: ſi tamen in aliqua noſtra eccleſia quadrageſimales, vel annuales conciones, vel ſaltem aduentus nondum habitæ fuerint, nullo modo id exercitium ibi debeat introduci, niſi de Prouincialis licentia, Aſſiſtentium voto adhibito.

7. Poſtremo de adiumentis, quæ concionatoribus exhibenda erunt, decernimus, vt in primis quo tempore conciones habebunt, ſingulis ipſis comites deſtinentur, præter quos vnus, vel plures alij, vt eis inſeruiant, deputentur, prout neceſſitatis ratio poſtulabit.

bit. Sed & eum peregre ad concionandum quis mittitur, aſſignatus comes perinde ei, ac ſuo Præpoſito quauis in re obediat. Inſuper autem dum in eccleſijs noſtris conciones habebunt, in proprijs cubiculis comedere eis licebit, eo modo, & forma, prout iam ſupra cap. 14. ſanciuimus; curabitque Superior, vt tam anxiè laborantibus, quæ neceſſaria erunt, parata exhibeantur, & rite adminiſtrata ſuppeditentur. Atque vt facilius concionandi labores tolerentur, ſtatuimus, vt qui quadrageſimales conciones actu habebit, choro, & alijs exercitijs intereſſe, ac onera ſubire non teneatur; & is idem, poſtquam eas abſoluerit, ad quindecim dies eamdem immunitatem habeat, eſque ad cibos communes alij adiungantur. Qui verò ad eaſdem quadrageſimales conciones primo anno ſe præparat, toto eo tempore, exceptis diebus feſtiuis, à matutino tantum, & horis cenſeatur immunis. Qui proinde annuales conciones actu habebit, primo quidem anno, choro nullatenus intereſſe teneatur; eum nihilominus exhortamur, vt ſemel in die, ſi commode poterit, chorum cum alijs adeat. Cæteris verò annis, cum conciones annuales habebit, ſemel tantum in die exemptionem à choro habeat, niſi iuſta de cauſa frequentior ei concedenda videatur.

d. 33. R. n. 1. & 2.

Quoad priuilegia d. 34. R. n. 1. & d. 14. c. g. 19.

8. Cæterùm pro concionum laboribus, noſtrorum nemini quicquam licebit ſtipendij nomine petere, ſed gratis omnino hoc munus ab eis exerceatur. Quæ autem mero eleemoſynæ titulo concionatori offeruntur, accipi quidem poſſunt; ſed tamen, excepto viatico, ea omnia illi noſtræ domui in cuius eccleſia, vel ciuitate prædicatum fuerit, ſtatim acquiſita intelligantur, niſi forte à ſecularibus nominatim alicui domui fuerint deſtinata. Quod ſi in locis, vbi nos domicilium non habemus, prædicatum fuerit, quæ oblatæ recipientur eleemoſynæ, illius domus erunt, cui concionator ipſe iam aſſignatus fuerit: niſi in ea ciuitate fundatio aliqua domus peragenda eſſet; tunc enim eleemoſynæ eius domus fundationi applicandæ erunt.

9. Denique eleemoſynas in concione pro externis, ſine Superioris licentia petere, vel ibi ſupplices libellos, qui ab ipſo Superiore priùs approbati non fuerint, legere concionatori nequaquam licebit; ſed & earum, quæ pro externis colligentur, eleemoſynarum diſtributio Superiori tantum incumbet: qui omnino ijs ſolummodo eas dare teneatur, pro quibus poſtulatæ fuerunt, nec vlſo prorſus modo alijs applicare vnquam poſſit. Porro pro domo noſtra nullo vnquam modo eleemoſynæ in concione petantur,

tur,

tur, etiam de Superioris licentia.

10. Iam verò non ſolum concionibus, ſed ſacris etiam lectionibus populo in eccleſijs exhiberi poterit verbi Dei miniſterium à noſtris; hac ſcilicet ratione, vt ſacra aliqua hiſtoria, vel etiam pſalmus, aut S. Pauli epiſtola, ſiue quid ſimile ex ſcriptura depromptum, expoſitione, diſcurſibus, morùmque inſtructione populo proponatur; ſiue denique tractatus aliquis myſticus, vel moralis edatur. In qua verò ex noſtris eccleſijs huiuſmodi erunt ſacræ lectiones habendæ, non niſi dominicis, & feſtis alijs diebus, ſtatim poſt veſperas habeantur; ſic tamen, vt Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium licentia adſit, vbi continuatè id exercitium debeat introduci. Poſtremo qui lector eas habuerit matutino & horis per totam hebdomadam, ac diebus feſtiuis veſperis intereſſe non teneatur. Quod verò de eleemoſynis, ſiue nobis oblatis, ſiue pro externis, vel pro noſtra domo petendis, mox iam ſupra præſcripſimus, idem prorſus intelligatur, & ſeruetur, cum huiuſmodi ſacræ lectiones peragentur.

11. Vltimo adminiſtratio illa Dei verbi, qua fidei rudimenta pueri edocentur, cum nequaquam noſtro inſtituto ſit incongrua, decet, vt aliquando exhibeatur à noſtris, vel in ipſis noſtris eccleſijs, vel alibi, Prouincialis arbitrio, ſine cuius licentia id munus præſtare minimè poterit.

CAPVT XXX.

De alijs functionibus ad proximorum ſalutem aſſumendis.

1. CHaritatis ſpatia dilatantes, eiuſque perfectionem varijs actibus plenè aſſequi intendentes, hæc alia conſtituimus, ad proximorum ſalutem, amplecti. Atque in primis miſſarum ſacrificia in eccleſijs noſtris ſic congrua diſpoſitione ordinentur, vt, quoad eius fieri poterit, aſſidua ſint, vt populo adeunti ſat ſatis.

2. Proinde ad fidelium deuotionem promouendam, ſolemnis quandòque in eccleſijs noſtris, quadraginta horarum oratio, muſico etiam cantu adhibito, celebretur. Sed & prima cuiuſque d. 32. R. menſis dominica, mane dumtaxat, quoad vſque miſſarum ſacrificia abſoluantur, euchariſtiæ ſacramentum decenter in altari expo-

ponatur, ibique eo temporis ſpatio fiat à noſtris in orbē oratio. Cæterum in ea vrbe, vbi ſimul domum exercitiorum, & collegium habebimus, hæc ſacramenti expoſitio in prima menſis dominica, ſat tantum erit, ſi in domo exercitiorum inſtituatur.

3. Inſtitui etiam poterit, vbi ſic prouinciali capitulo videbitur, vt ſingulis totius anni ſabbatis, in eccleſijs noſtris, abſoluto completorio, ſermo ad populum de Beatæ Virginis laudibus habeatur; poſt quem ſolemniter eiuſdem Virginis litaniæ decantentur, muſico etiam cantu adhibito.

4. Præterea ſecularium congregationes, ſeu ſodalitates in noſtris exercitiorum domibus, & collegijs inſtituantur, non tamen ſine Prouincialis ſuorumque Aſſiſtentium, ac Præpoſiti, & Conſultorum eius domus, vbi inſtitui debent, facultate. Et quidem iuxta varias vel ætatum, vel ſtatuum rationes, variæ eſſe poterunt, vt videlicet adoleſcentium vna, magnatum altera, artificum alia, & ſic de ſingulis, prout magis in Domino expedire prædicti Patres dignoſcent, & prout regionum vſus expoſcit. Porrò cuilibet congregationi Pater vnus ex noſtris à Præpoſito, de Conſultorum voto, præficiatur, qui eam in virtute, & ſpiritu ad Dei gloriam dirigat, iuxta regulas ad hoc præſcribendas, quas ſanè nemini, ſine Prouincialis licentia, in aliquo variare licebit. Ipſum autem congregationis deputatum Patrem ſine cauſa, & ſine Conſultorum voto, Præpoſito amouere non licebit. Sed & ipſam denique congregationem diſſoluere, aut intermittere nemo vnquam poſſit; niſi vbi religioni detrimentum, quod nequaquam euenturum ſperamus, afferret: in quo tamen Prouincialis, de Aſſiſtentium voto, rem decernat, habita priùs à locali capitulo eius domus, vbi congregatio habetur, conſultatione.

5. Iam verò mentalia orationis exercitia alijs efficienda tradere, ac aliquos ad ea domi noſtræ peragenda admittere, charitatis opus eſt, quod etiam libenter amplectimur: non tamen domi, ſine Superioris licentia, & conſultorum voto, præſtandum.

6. Sed & conſilio inſuper proximum adiuuare intendentes, decernimus, vt ad ea præſertim, quæ conſcientiæ caſus expoſcunt, deſignetur in vnaquaque exercitiorum, & ſtudiorum domo Pater vnus eruditus, vel etiam plures, ſi id adeuntium concurſus requiret, cuius partes erunt conſcientiæ caſus proximis accurrentibus decidere: &, ſi difficilis aliquando caſus reſolutio videatur, cum alijs patribus conferatur, & ſimul decidatur. Verùm nemini

ſuam

ſuam ſententiam ſcripto tradere licebit, prius quam Superior vna cum ſuis Conſultoribus eam viderit, & probauerit.

7. Vlteriùs autem, ad comparandas doctrinas in noſtris collegijs externos admittere, eòſque publicè docere, charitatis amplitudini adhærens noſtra religio, ex inſtituto etiam inter tot alias functiones aſſumit: ſed, qua ratione id fiet, infra traditur.

8. Sed illud quoque pietatis opus libenter amplectimur, quale quidē eſt quoſdā ex noſtris doctrina, & virtute vigentes ad ea loca, per aliquot dies, aliquando deſtinare, quæ ſalutaribus inſtitutis indigere videbuntur; ibique, apoſtolico more, pœnitentiæ, & euchariſtiæ ſacramenta miniſtrare, verbum Dei proponere, fidei rudimenta tradere, alijſque functionibus animarum lucra perquirere, ex munere incumbet. Non tamen huiuſmodi miſſiones, ſine Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium, ac Præpoſiti eius loci, vbi religioſus mittendus deget, licentia, nec ſine probo comite fiant, & ambo ſimul ſemper pergant; ibique ſimul conſiſtant.

9. Denique pietatis ſemita incedentes, eos etiam, qui in lectis ægrotant, viſitare, de Superioris tamen licentia, eiſque pœnitentiæ ſacramenta miniſtrare, pijſque monitis confirmare, ac demum animam agentibus adſtare poterunt noſtri, cum poſtulabit occaſio. Et eodem inſuper charitatis affectu, qui in hoſpitalibus infirmantur, quìque in carceribus detinentur, quandoque eos viſitare conſentaneum erit. Sed & irarum placatio, inimicitiarum diſſolutio, & huiuſmodi alia pietatis munia piè ſemper, arbitrio tamen Superiorum, exerceantur à noſtris.

10. Poſtremo & ſi tam varijs functionibus proximorum iuuamini ſe noſtra religio profiteatur addictam, omnino tamen monialium curam nullo modo admittit. Sic etiam parochialem adminiſtrationem à noſtris exercendam nulla ratione ſuſcipere intendit, niſi fortè ad maiorem Dei gloriam, & communem religionis bonum id quandoque expediens videatur. In quo tamen Supra casu huiuſmodi onus non admittatur, niſi in domibus exercitio- c.28.n.5. rum, & vbi magna onera non incumbunt; etiam in collegijs, & ibi non niſi ad tempus, & de licentia horum Patrum videlicet Præpoſiti Generalis, ſuorumque Aſſiſtentium, itèmque Prouincialis, & Aſſiſtentium eius Prouinciæ, vbi cura ſuſcipienda eſſet.

CAPVT XXXI.

De vltimo mediorum genere, quod literarum ſtudia, & earum exercitia continet.

1. RELigioſorum cœtus ſicut vitæ ſanctitate in eccleſia Dei ſubſiſtunt, ita ſimul literarum eruditione clareſcunt, ſicque virtute, & ſcientia vndique perfecti decoris intuentium oculis iure apparent. Proinde ne tantus fulgor noſtræ religioni vllo vnquam tempore deſit, merito decernimus, vt omnino ſpiritu non ſolum, ſed literis etiam ſolerti diligentia decoretur: hocque erit efficax medium, & præcipuum inſtrumentum, inter tot alia iam præſcripta, ad noſtri inſtituti rationem ſolidandam; quod modo per ſequentia capita diſponemus.

2. Atque in primis in vniuerſum ſtatuimus, & ſtrictè mandamus, vt hæc ſtudia, quo à nobis ordine, & forma præſcribentur ex profeſſo complectantur, omnique conatu, ac omni tempore d.14.c.g 19. circa finem. accuratiſſimè promoueantur. Id quod præcipuè Superioribus incumbet, qui diligenter proſpicere, ac ſedulo inuigilare debebunt, ne incuria vel negligentia quippiam detrimenti ſtudia ſubire cogantur; & iure, ac merito qui Superior literarum ſtudijs aliquo modo ſe auerſum præſtaret, vel ea promouere non curaret, religionis aduerſarius cenſendus eſſet, eoque loco indignus.

3. Sed verò materiam hanc diſponentes, ad tria veluti membra reuocamus, nimirum ad ſtudia ſcholaſtica, quæ doctrinis, & ſcientijs varijs in ſchola comparandis deſignantur; ad exercitia moralia caſuum conſcientiæ, quæ collationibus peragentur; ad priuata denique cuiuſque ſtudia, quæ ſinguli quìque priuatim habebunt, de quibus omnibus ſingillatim agendum.

CA-

CAPVT XXXII.

De ſtudijs ſcholaſticis, & primo de facultatibus prælegendis.

1. SCholaſtica ſtudia, velut ſolida cęterorum fundamenta primaria ratione iacientes, inter ea primo facultates prælegendas, ſcholaſque inſtituendas locamus. Quarum ſanè duo in vniuerſum genera deſignamus. Primum quod facultates inferiores complectitur, linguarum ſcilicet peritiam, rhetoricam, & alia, quæ ad literas humanas attinent. Secundum, quod facultates ſuperiores, nempe ſcientias continet, quæ ſunt videlicet, logica naturalis, & moralis philoſophia, metaphyſica mathematica; ſacra theologia tum ſcholaſtica, tum poſitiua, quę etiam ſcripturam ſacramcomprehendit: & denique ſacros canones.

2. Quibus omnibus addiſcendis facultatibus, tam ſuperioribus, quam inferioribus, noſtros incumbere, ex inſtituti ratione oportebit, atque pro ijs ſingulis rite comparandis, ſingulę ſcholæ inter nos inſtituendæ erunt. Excludimus autem, vt à clericis alienas, medicinæ, & legum ſcholas.

3. Proinde verò, quod attinet in particulari ad facultates ſuperiores, ratio, & ordo ipſis incumbendi, ſic omnino ſe habeat, vt primo logicæ, quam, velut præambula, præcedent dialecticæ introductiones, quas ſummulas vocant; deinde philoſophiæ, ac metaphyſicę; poſtmodum ſacræ theologiæ vacetur. Logicę autem, & philoſophiæ trium annorum ſit curriculum, vel etiam quatuor, prout regionum vſus expoſcet: theologiæ quatuor, ad ſummum quinque; nec licebit minore temporis ſpatio hos omnes in ſcholis abſoluere curſus. Sed & per totum id tempus aſſiduè, exceptis vacationibus, nec minus in ſingulos dies, quam binæ prælectiones habeantur: quibus ſingulis vnius horæ ſpatium deſignetur. Porro logicæ, & philoſophiæ quotannis, ſi fieri poteſt, vnus curſus abſoluetur, & alter inchoetur. Theologicus verò quarto quòque anno ordinariè inchoabitur, fietque materiarum tam apta diſtributio, vt, qui ad eas comparandas accedunt, à quacunque materia initium ſumant, poſſint per illud totum quadriennij tempus eas omnes audire. Adhæc, quæ doctrina in his tradendis ſcientijs prælegetur, ea ſit, quę ſecuritate, ac ſoli-

ditate præſtet; vnde in philoſophia Ariſtotelis doctrina vt plurimum complectenda; in theologia D. Thomas, vt dux eligendus, eique ſummo ſtudio inhærendum.

4. Sed & neceſſe inſuper erit, vt alijs quoque ſcientijs, & facultatibus ſuperioribus iam præfatis noſtri ſcholaſtici incumbant, hac ratione, vt mathematicas prælectiones, ſecundo philoſophiæ anno, ſemel in die auſcultent; & eodem modo, vltimo, philoſophiæ naturalis anno, ethicas prælectiones ſemel item in die excipiant; ſecundo verò, & tertio theologiæ anno, ſemel etiam in die audiendis ſcripturæ ſacræ lectionibus incumbant.

5. Denique his omnibus, conſcientiæ caſuum, & ſacrorum canonum ſcholæ adiungentur, in quibus binæ quotidie prælectiones habeantur, earumque curſus biennio abſoluatur: quem omnino tranſigent, qui ad theologiæ, vel philoſophiæ, curricula non deputantur, de quibus infra dicetur.

6. Iam verò, quod attinet ad facultates inferiores, quæ literis humanioribus, ac proinde linguarum varietate, & rhetorica conſtant, eæ quidem accuratiſſimè ſemper promouendæ erunt, atque vt omni tempore floreant, pro viribus enitendum. Sed & noſtri omnes, vbi primum profeſſionem emiſerint, antequam logicæ deſtinentur, biennium, vel ſaltem annum in eis omnino tranſigant, niſi forte ætatis ratio, vel quid aliud, aliter exigere videatur, Prouincialis arbitratu.

CAPVT XXXIII.

De perſonis ad ſcholaſtica ſtudia deputandis.

1. CVm duo perſonarum genera, ad ſcholaſtica ſtudia requirantur; aliæ, quæ ad docendum, & ad ſtudiorum directionem aſſumuntur; aliæ verò, quæ ad facultates ipſas addiſcendas deſtinantur; primi quidē generis apud nos huiuſmodi erunt, videlicet, lectores, præfectus ſtudiorum; duo, vel tres examinatores, lectoris coadiutor, qui & bidellus dicitur.

2. De lectoribus autem in particulari decernimus, vt ij planè ad id munus in noſtris collegijs obeundum ex noſtris religioſis aſſumantur, ſintque tales, qui doctrina, & ingenio, ac virtutibus polleant; vt conceptam animi virtutem, vnà cum ipſa doctrina transfundant; ſed & Prouincialis facultas accedere debet, ſine

d. 30. R. n. 1.

qua,

qua, nemo poterit hoc munere fungi: ipſius enim erit lectores per loca deſignare: quamuis, vbi alterius lectoris locus ſupplendus neceſſariò eſſet, poſſit alius, neceſſitate ſic vrgente, à Præpoſito ſuffici, ita tamen, vt Prouincialis deinde certior fiat. Porro quot facultates prælegendæ erunt, tot ad eas edocendas deputentur lectores. Imo ſacræ theologiæ duo ſint, ſi fieri poteſt, vnus, qui mane, alter, qui veſpere de diuerſis materijs prælectiones habeant; & pari ratione, duo etiam ſint conſcientiæ caſuum, vel vnus, qui binas de eis prælectiones tradat. Priuilegia lectorum in d.9. c.g. 18. & d. 14. c.g. 19. & d. 16. R.n. 2. & d. 29. n.1. & d.34. n.1.& 2.

Cæterum theologiæ lector nemo conſtituatur, qui erga S. Thomæ doctrinam bene affectus non fuerit. Nemo etiam, qui curſum theologiæ non abſoluerit, ad philoſophiam edocendam aſſumatur, niſi vrgentiſſima aliqua ratio aliter ſuadere videatur. Nemo denique, qui theologiam non bene calleat, & varia eruditione non polleat, ac in linguarum peritia, præſertim hebraicæ, & grçcæ non ſit verſatus, ſcripturæ ſacræ prælectionibus tradendis deputetur. Ad inferiores facultates edocendas ex ijs aſſumi poſſent, qui philoſophiæ curſum expleuerint, antequam theologico deſtinentur. Iam verò ipſis lectoribus, ex præcipuo munere, in vniuerſum incumbet, ſcholaſticorum profectui in lectionibus, & alijs exercitijs peruigili cura intendere; & conentur præcipuè prælectiones ſic tradere, vt recta methodo, conſpicua luce, clareſcant. Denique quod ad lectorum attinet amotionem, in ipſomet curriculo, antequam illud abſoluant, eorum neminem, ſine vrgenti ratione, mutare licebit. Sed & quando ſic ratio expoſcet, id efficere Prouincialis erit, ſuorum Aſſiſtentium voto adhibito. Poſtremò lectorum onera attendentes, prudenti diſcretione cenſemus, vt quo tempore hoc munus obibunt, circularis ieiunij onus ſubire non teneantur: itemque dominicis diebus à matutino, & tertia immunes facimus. In feſtis autem primæ & ſecundæ claſſis nulla eis à choro exemptio tribuetur. Feſta primæ claſſis pro collegijs ſupra c. 9. n. 3 enumerantur. d.29. R. n.3. d. 14. c. g. 19. d.29. R. n.1.& 2.

3. Iam verò præter lectores, præfectus inſuper ſtudiorum neceſſariò adhibendus, cuius partes erunt, ſtudiorum directioni immediatè intendere, iuxta ſui officij regulas in libello de ratione ſtudiorum præſcriptas. Qui tamen ſcholaſtica ſtudia non abſoluerit, & ſcientijs non bene inſtructus euaſerit, nequaquam ad hoc munus aſſumatur: aſſumendus verò à Prouinciali erit: non tamen intra temporis curſum, & deſignatum, quod minus d.29.R. n.1.

anno eſſe non debet, ſine vrgenti ratione, & ſine aſſiſtentium voto, poterit ab eo mutari. Cæterum lectores omnes, & ſcholaſtici in ijs quæ ad ſtudia moderanda ſpectabunt, huic præfecto libenter obediant.

4. Præterea verò examinatores duo, vel etiam tres, qui ſuo tempore ſcholaſticos omnes examine probent, à Prouinciali deſtinentur. Et denique lectoris coadiutor, ſiue bidellus ab ipſomet lectore deputetur, eiuſque munus, quod in libello de ratione ſtudiorum præſcribitur, ad ſtudia dirigenda ſuo etiam modo valde confert: in ſingulis autem ſcholis ſingulos eos deſignare oportebit.

d.30. R. n.1. 2. & 3. & d.31 R. n.1.2. & 3.

5 Sed iam ad perſonas ſecundi generis tranſeuntes, quæ quidem ſunt ſcholaſtici omnes facultatibus addiſcendis incumbentes; decernimus, vt nemo noſtrùm ante profeſſionem emiſſam, ad eas ſiue ſuperiores, ſiue inferiores vllo vnquam modo admittatur. Volumus enim, vt illud temporis ſpatium ſacris dumtaxat occupationibus, & deuotionis ſtudio impendatur. Poſt profeſſionem autem, vbi primum eam noſtri clerici emiſerint, illis addiſcendis facultatibus omnino deſtinentur. Et primò quidem humanioribus literis, niſi forte quid obſtet, vt præcedenti capite diximus; deinde verò logicæ, & ſuperioribus deputentur; ita tamen, vt ad logicam omnes promiſcuè ſine exceptione admittantur. Ad philoſophiam verò, non niſi præmiſſo examine, de quo infra. Cæterùm volumus, vt nemini poſſint, expleta logica, philoſophiæ, & theologiæ ſtudia denegari, abſque Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium voto: ſed & qui iuſtis de cauſis non fuerit ad ea aſſumptus, omnino ad conſcientiæ caſuum, & ſacrorum canonum lectiones, per biennium audiendas, deputandus erit: vt vel ſic noſtro inſtituto ſe aptiorem reddere poſſit.

d.30. R. n.3. & d. 1. R. n. 3.

d.30. R. n.3. & d. 31. n.2.

6. Poſtremò, præter ſcholaſticos noſtros, ſeculares etiam & externi alij ad noſtra collegia, & literarum ſtudia libenter admittantur, ijſque facultates omnes ſuperiores, quas ſupra enumerauimus, prælegere, & publicè eos docere licebit; idque amplitudini charitatis deſeruiens noſtra Religio, valde conſonum, & ſibi congruum ducit: intendit enim non ſpiritu ſolùm, ſed literis etiam, ac doctrina, proximum inſtruendo, iuuare: ſed nihilominus tamen ad facultates inferiores nullo prorſus modo externos admittendos eſſe decernimus, omnino enim inferiorum ſcholarum ſtrepitus noſtro inſtituto nequaquam congrue-

gruere definimus: & ſat vtique erit, ſi ad ſuperiores facultates externos admittamus.

CAPVT XXXIV.

De locis ad ſcholaſtica ſtudia deſtinandis.

1. Aptum eſt omne bonum ſuis locis, & laudabilia quæque ſordeſcunt, ſi non in ſua ſede collocentur. Et ideo operæ pretium ducimus, vt peculiaria loca, ſcholaſticis literarum ſtudijs deputentur, in quibus ea, velut in ſuis regionibus ac poſſeſſionibus dominentur.

2. Ergo in primis quod attinet ad ſcholaſticos noſtros, facultates quidem inferiores priuatim eis prælegere oportebit in domibus exercitiorum, vbi ſecundum ipſi nouitiatum conficiunt; non tamen excludimus, quin in collegijs hæ facultates inferiores, cum opus erit, noſtris prælegantur. Ad facultates verò ſuperiores eis tradendas decernimus, vt domus quædam in ſingulis prouincijs conſtruantur, quæ peculiari nomine domus ſtudiorum, ſiue collegia appellentur, ad hoc deſtinata, vt in ijs prædictarum facultatum ſcholaſtica ſtudia, expedito curſu, arripi, & abſolui facilè poſſint; ſintque tot numero, quot pro ipſis noſtris ſcholaſticis neceſſaria erunt. In domibus autem exercitiorum nullo prorſus modo eæ facultates ſuperiores eis prælegantur, niſi dumtaxat ad tempus, vno tantum caſu, vbi ſcilicet in aliqua prouincia ſufficiens collegium non habeatur.

3. Sed proinde quod attinet ad externos ſcholaſticos, quos quidem ad noſtra ſtudia confluentes admittimus, in primis pro eis dumtaxat inſtruendis nullo modo collegium aliquod conſtrui, aut deſtinari poſſe decernimus: ſed ſatis erit, & charitatis ſimul, & religionis bono conſuletur, ſi in collegijs, vbi noſtri facultatibus ſuperioribus addiſcendis deputantur, externi etiam ipſi ſimul cum noſtris ad ſcholaſtica ſtudia admittantur: omnino enim volumus, vt pro noſtris principaliter collegia deſtinentur. Cæterum non ſolùm in collegijs, ſed etiam in domibus exercitiorum, vbi ipſiſmet noſtris facultates ſuperiores in caſu iam propoſito prælegentur; externi ad eas addiſcendas libenter etiam admittantur.

4. De-

4. Denique nullo modo facultas aliqua ſiue ſuperior, ſiue inferior, ſiue ad noſtros, ſiue ad externos in domibus receſſus, & in nouitiatibus ſeparatis prælegenda erit.

CAPVT XXXV.

De Exercitatione varia, qua ſcholaſtica ſtudia promouentur.

1. NOn ſatis eſt ad ſtudiorum curſus aperuiſſe viam, ſi non etiam ad ea promouenda, quæ vim habent, præſcribantur. Inter quæ primum ſibi vendicat locum exercitatio varia, quæ profectò mentes acuens, ſtudijs incrementa miniſtrat, vt merito ſcholaſtici noſtri eam debeant toto niſu arripere. Quam proinde diſponentes, eam primò, quæ ad facultates ſuperiores attinet, trademus. Et ſanè repetitionibus, ſcholaſticorum prælectionibus, & diſputationum actibus conſtabit.

2. Ac primo repetitiones à noſtris ſcholaſticis coram præceptore fiant, quique fuerit ad repetendum præſignatus, lectionem ab ipſo lectore iam præhabitam, memoriter, dilucidè, ac ſuccinctè repetere conetur. Et eas porro, quæ logicæ, phyſicę, ac metaphyſicæ, necnon theologicæ, & conſcientię caſuum erunt, quotidianas eſſe oportebit. Quæ verò mathematicę, & ethicæ, rariùs fient, ſemel ſcilicet in menſe. Sed verò, præter has, anniuerſarię etiam logicę, philoſophię, ac theologiæ repetitiones inſtituantur, à noſtris ſcholaſticis in orbem peragendæ. Siue autem quotidianę, ſiue anniuerſariæ ſint, ſemel tantùm in die habeantur, & ad eas ſcholaſtici omnes eiuſdem facultatis conueniant. Præceptor autem quotidianis interſit, anniuerſarijs autem vel ipſe, vel ex noſtris eruditus alius præſit. Demum, quæ à noſtris peragentur, eæ non in ſchola coram externis alijs, ſed in alio collegij loco priuatim fiant. Et eodem fere tempore ad externorum repetitiones in ſchola audiendas, præcipuus aliquis ex noſtris ſcholaſticis ingenio prędictus deputetur.

3. Sed & alia inſuper eiuſdem fere generis exercitatio ipſiſmet ſcholaſticis noſtris incumbet, vt ſcilicet, quandoque eorum quiſque, dum alij ad menſam adſident, vel alibi, quęſtione aliqua propoſita, prælectionem memoriter, dilucidè, ac diſtinctè,

ſtinctè, ſcholaſtico more habeat, eamque varijs hinc inde opinionibus, & argumentis agitatam definiat.

4. Quod verò ſpectat ad diſputationum actus, in ijs ſemper præcipua cura adhibenda erit, vtpote in quibus literarum cultura conſiſtit. Atque in primis logicæ, philoſophicę, & theologicæ diſputationes quotidie ſemel inſtituantur, ſtatim poſt quotidianas habitas repetitiones, hac ratione vt, qui repetierit, defendat, & vel vnus, vel duo argumententur; tres autem horę quadrantes, in eo ſimul exercitio repetitionis, & diſputationis non excedantur.

5. Diſputationes etiam aliæ earumdem facultatum hebdomadariæ inſtituentur, ſemel ſcilicet in hebdomada, publice in ſchola habendę, in quibus propoſitiones ex alterius hebdomadæ prælectionibus deſumptæ ad vnius horæ ſpatium defendentur duobus argumenta opponentibus.

6. Aliæ etiam ſint, quæ menſtruę in ſingulos menſes bis eo die, mane ſcilicet, & veſpere, vnius horæ per ſingulas vices ſpatio, publicè in ſchola habeantur. Et qualibet vice duo ſint, qui argumenta opponant, vel etiam ſemel in die ad duas tamen horas peragentur.

7. Sed & trimeſtres, vel quadrimeſtres peculiares logicę, & philoſophię diſputationum actus aliquanto ſolemniores inſtituantur; id quod in theologico curſu ſingulis annis peragetur: & prætermiſſa eo menſe diſputatione menſtrua eiuſdem facultatis, quo die hi actus peculiares celebrabuntur, mane, & veſpere publicè in ſchola habeantur, ac ſingulis vicibus ad duas circiter horas tres argumenta opponant.

8. Denique generales diſputationum actus adiungendi: quos quidem de vniuerſa philoſophia ſub triennij, & de vniuerſa theologia ſub quadriennij finem, ſolemniores, vt par eſt, inſtituere oportebit. Æquumque erit, niſi quid obſtet, vt horum generalium actuum theſes, typis mandentur: ſed nihilominus, ſiue excudantur, ſiue manu ſcribantur, quæ à noſtris defendentur, ſimplices omnino ſint, ſine vlla dedicatione ad alium, à lectore prius, & ſtudiorum præfecto recognitæ, & approbatæ. Verum non promiſcuè ſine delectu ad eas ſuſtinendas noſtri ſcholaſtici admittantur; examine opus erit, quo ab examinatoribus, ſtudiorum præfecto, ac proprio præceptore probati, non niſi pauci, & egregiè inſtructi ſeligantur, qui omnes, ſuo cuique à ſtudiorum præfecto, deſignato die, generales theſes defendent,

d.16. c.g. 19.

d.14. c.g. 19. & d. 15. eiuſdē & d. 30. R. n.3. & d. 31. n.1.

non tamen prius, quàm eis facultas á ſuperiore fiat. Proinde mane, & veſpere publicè vnuſquiſque defendet, & per ſingulas vices duarum circiter cum dimidia horarũ ſpatium in ea diſputatione trãſigatur;ſemperque ad argum ẽta opponenda tres deputentur, non ex noſtris dumtaxat, ſed ex alijs etiam externis: externi enim profeſſores, & ſcholaſtici tum ad hos generales, tum ad alios diſputationum actus inuitari poterunt; alij ad concluſiones oppugnandas; alij vt, ibi aſſidentes, conuentum faciant, quo celebrior actus, & alacrior, ac feruentior diſputatio euadat: ſed & diuerſarum facultatum profeſſores noſtri, alijque patres, & ſcholaſtici ibi interſint. Aſſideat tamen, vt præſes, in quolibet diſputationis actu, tum eius facultatis quæ defenditur, lector, tum etiam ſtudiorum præfectus.

9. Iam verò externi alij ſcholaſtici, qui in ſcholis noſtris facultates ediſcunt, ad concluſiones ſuſtinendas admitti poterunt; ſiue hebdomadarij, ſiue menſtrui, ſiue etiam peculiares vel generales diſputationum actus habeantur: ijs lector ex noſtris preſideat.

10. Sed vlterius quod attinet ad aliarum ſuperiorum facultatum diſputationes, eæ quidem hac ratione inſtituantur, vt in ſtudio, ſeu ſchola de conſcientiæ caſibus ſemel in hebdomada diſputetur. In ſtudio item, ſeu ſchola mathematicæ ſemel tantum in menſe, vel etiam alternis menſibus, problema mathematicum ab aliquo ex noſtris ſcholaſticis enodetur, contra quod deinde argumenta opponantur. Ad illud autem tum philoſophi, tum theologi ſcholaſtici conueniant. Pro ethicis verò diſputationibus obſeruetur, vt quoties menſtruæ, ac etiam generales vltimi anni philoſophię naturalis diſputationes inſtituentur, toties ipſis philoſophicis concluſionibus aliquæ etiam ethicę adiungantur. In ſtudio item Scripturę ſacræ, vt exercitatione ferueſcat, locus aliquis præclarus, & inſignis interdum á diſcipulis elucidetur, contra quem deinde argumenta ab alijs opponantur; ita tamen, vt hæc ſacra concertatio ſcripturę limites non excedat.

11. Denique de varia ſuperiorum facultatum exercitatione illud etiam adiungimus, multum ad eam augendam prodeſſe, ſi peculiares academię inſtituantur; aliæ tamen pro noſtris, alię pro externis; in quibus proinde, ſtatis diebus, certiſque legibus exercitia varia ad ſuperiores facultates ſpectantia, peculiari modo efficiantur. Illud etiam non omittendum, quod

cum

eum noſtri ad religioſorum conuentus, vel ad publicas academias, alioſque publicos actus, vt diſputent, vocantur, id quidem, exercitationis gratia nobis licebit, non tamen ſine ſuperioris licentia, qui proinde eos illuc mittat, qui apti, & idonei, eoque loco non putentur indigni; ſic tamen, vt ſi diſcipulos mittere debeat, de conſilio id faciat lectoris, & præfecti ſtudiorum.

12. Sed hactenus iam de varia exercitatione, quę facultates reſpicit ſuperiores; nunc de ea, quæ ad inferiores attinet, decernimus, vt noſtri priuatim inter ſe ipſos exerceantur. Et interdum orationes, aut poëmata, vel latinè compoſita, vel gręce, vel hebraice habeant: emblemata, ac ſymbola efficiant; inſcriptiones, & deſcriptiones componant; ænigmata faciant, & diſſoluant; ſententias, & phraſes depromant, ac recitent. Dialogorum, & tragœdiarum argumenta, pia tamen, & latina aliquando etiam conſcribant. Et alia denique ab eis actitentur, quibus humaniores literæ efficaciùs imprimuntur. Si tamen publicè ſiue foris, ſiue domi, recitanda, vel affigenda aliqua eſſent, id quidem non antea licebit, quam ea fuerint prius à Superiore, ac lectore recognita, & approbata.

Inſuper autem humaniorum literarum academiæ inter noſtros ad exercitia promouenda habeantur, & in ijs conferre, diſputare, declamare, & huiuſmodi alia viciſſim peragere oportebit.

CAPVT XXXVI.

De alijs medijs, quæ ſcholaſtica ſtudia promouent, aſſumendis.

1. EXercitatione varia, quæ præcipuũ eſt, iã præſcripta: diſponentes modo alia media, quæ ijſdem ſcholaſticis ſtudijs valde conferunt, inter ea primo prælectionum rationem ab auditoribus exigendam, ac dubiorum reſolutionem ponimus. Et quidem maxime iuuerit, vt quinto decimo quoque die, prætermiſſa eiuſdem diei repetitione, preceptor à ſcholaſticis rationem præteritarum lectionum interrogationibus expoſcat, ad dignoſcendum, an eas bene calleant, & an ſtudio vacent: vt vel ſic tepeſcendi occaſio, quoad eius fieri poteſt, ipſis omnino præci-

 datur.

datur. Paratum etiam tempus ſuis ſcholaſticis offerat lector, quo ad eum accedentes dubiorum, quæ oboriuntur, reſolutiones habeant. Sic tamen vt in ipſius lectoris cubiculum ingredi, ſine ſuperioris licentia, non poſſint, pręterquam peculiari quadam hora ipſi lectori opportuna, ab eodem Superiore deſignanda. Et,vt etiam externis in hac parte fiat ſatis, poterit lector, abſoluta lectione, in ſchola, vel extra eam, ad vnius horæ quadrantem detineri, vt adeuntibus diſcipulis oborta dubia, explanando, decidat.

2. Secundo valde confert, ſi inter ſcholaſticos noſtros latinę linguę retineatur vſus: ideoque conentur omnes, vt, excepto vacationis tempore,& recreationis horis, latinè ſemper loquantur; &, cum ad noſtros literas ſcribunt,latinè conſcribant.

3. Tertio quàm maximè proderit, ſi ſuum ſcholaſtici peculiare tempus habeant, quo ſtudio vacent, & propterea prouida diſpoſitione decernimus, vt in collegijs chorus quotidianus nequaquam ſtatuatur A quo etiam in domibus exercitiorum, in quibus ſuperiores facultates, caſu iam ſupra poſito, prælegentur, immunes facimus,etiam vacationis tempore, ſcholaſticos omnes, qui eas ibi addiſcunt,eo prorſus modo, ac ſi in collegijs eſſent; niſi forſan magna, ob religioſorum paucitatem, vrgeret neceſſitas; tunc enim hoc onere grauari quidem poterunt, excepto lectore, ſcholaſtici; verùm id non fiat, niſi dumtaxat ad tempus, & de licentia Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium, habita priùs relatione à Præpoſito, & Conſultoribus eiuſdem domus; ſic autem grauentur, vt, ceſſante neceſſitate, ceſſet & onus; ſed, & cum illud portare cogentur, curetur, vt ſinguli ſemel in die choro interſint; alij ad matutinum; alij ad horas; alij denique ad veſperas: prout alternas has vices Prępoſitus loci ſimul cum lectore præfixerit. Vlteriùs etiam in eadem exercitiorum domo ijdem ſcholaſtici veſpertinam orationem ad medię horæ ſpatium efficient, prout in collegijs obſeruatur.

Iam vero alterna à choro remiſſio concedi poterit à Superiore domus,ſi ſic ei videbitur, etiam ijs, qui in ipſiſmet exercitiorum domibus, inferiorum facultatum ſtudijs, ſecundi nouitiatus tempore, vacant.

Nihilominus tamen quacumque ratione tam inferiores, quã ſuperiores ſcholaſtici ſic erunt immunes, ſemper, tamen diebus feſtiuis choro intereſſe teneantur. Cęterum exteriores occupa-

tiones,

tiones, aut domeſtica miniſteria, quę animum à ſtudijs auocare facilè poſſunt, ſcholaſticis facultatum ſuperiorum obeunda, etiam vacationis anniuerſariæ tempore, nequaquam tradantur. Rebus inſuper friuolis, aut otio tempus terere, vel libris à profeſſione alienis operam dare ne permittantur: & ideo præfecti ſtudiorum erit, Superiore conſcio, & ex lectorum conſilio, neceſſarios tantum libros cuique deſignare, hac ratione, vt philoſophiæ auditoribus Ariſtoteles, & theologiæ ſcholaſticis, ſumma S. Thomæ, ac Tridentinum Concilium, & bibliorum liber non deſint. Et pari modo humanitatis libros, quos certis temporibus legere non omittant, ſinguli ſcholaſtici cuiuſque facultatis habeant. An autem alicui theologiæ ſcholaſtico concedendus etiam ſit Pater aliquis, ſtudiorum præfectus, Superiore, ac lectore admonitis, viderit.

Sed & cauendum vlterius erit, ne, dum ſcholaſtici prælectionem auſcultant, aut alijs in ſchola exercitijs vacant, ab eis aliquo modo auocentur: ſed ſi quid vrgens occurrat, ſine licentia tamen Superioris, & lectoris à ſchola nemini licebit abeſſe. Nemini etiam ex ipſis, priuato ſtudio deputatum tempus, quo lectiones excurrere, ponderare, & mente pertractare debent, vel denegetur, vel aliis occupationibus interrumpatur.

Denique, vt omnia præcidantur, quę ſtudiorum curſus retardare quoquomodo valent, conſentaneum erit, vt qui ſcholaſtici ad ſacros ordines promoti non fuerint, ad eos, ſine vrgenti neceſſitate, donec ſtudiorum curricula abſoluerint, vel ſaltem prope eorum finem acceſſerint, non promoueantur. d.22.c.g 19.

4. Sed iam vlterius ſtudiorum curricula, quarto loco valde promouebit, ſi aſſiduitas, & conſtantia in illis retineatur. Et propterea lectores ad conciones in quadrageſima, vel aliis tēporibus habendas nulla ratione deputentur, nec aliis quibuſcumque occupationibus detineantur, vt vel ſic ſine interruptione ſuum quiſque curſum abſoluere poſſit.

Præterea lectiones, & alia quæuis exercitia inuariato ſemper pede procedant, & conſtanti lege diſponantur; vnde pro iis tempus, & horæ opportuna diuiſione ſtatuantur; & nullo modo ea variare licebit, ſed in ſemel cœpto conſtanter perſeuerandum.

Nihilominus tamen, ſi, pro regionum varietate, & vſu, neceſſarium forte eſſet aliquid circa ordinē horarum, vel exercitia, aut etiam vacationes variare, Pater Generalis conſulendus erit,

cuius

cuius præſcripto, re priùs cum Aſſiſtentibus in conſultationem vocata, ſtandum erit.

5. Cæterum ſicut aſſiduitas, ita etiam vacatio, ſeu feriatio literarum ſtudia quinto loco iuuabit: depoſito enim aliquantiſper onere, & animus leuatur, & vtilius intermiſſa repetuntur. Quare, quo die feriabitur, nulla in ſchola exercitia peragantur. Sed & dies, quibus vacandum, præſcribentes, hebdomadaria in primis vacatio habeatur, qua ſcilicet ſingulis hebdomadis, dies vnus quieti deſtinetur. Feriabunt etiam à vigilia Natiuitatis Domini, ad feſtum vſque Circumciſionis. A quinquageſima, vſque ad feriam quartam Cinerum; à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis, in vigilia Pentecoſtes; pridiè item ſolemnitatis Corporis Chriſti; & in commemoratione defunctorum. Sed & feſtorum etiam catalogus pro regionum vſu, & ritu in quolibet collegio ſtatuatur. Denique vacatio generalis, ſiue anniuerſaria adiungenda erit. Quæ quidem pro facultatibus ſuperioribus breuior non erit vno menſe, nec longior duobus; eo autem tempore fiet, quo cuiuſque facultatibus curſus abſoluitur; ſcilicet prope finem æſtatis, vel autumnalibus diebus, hac ratione, vt renouationis ſtudiorum initium, pro ſequenti anno, vel prope finem octobris, vel in principio nouembris ſumi poſſit.

d. 14. c. g. 19: paulo ante medium.

Iam verò præter has vacationes, nullæ aliæ nouæ introducantur: in principio autem renouationis ſtudiorum oratio publicè in collegio ab aliquo noſtrùm erudito habeatur, ad quam lectores omnes, & ſcholaſtici conueniant.

d. 31. R. n. 4. & d. 14. c. g. 19 circa principium.

6. Sed nihilominus antequam ſtudiorum curſus iteretur, vt ab vna ad aliam facultatem recto ordine fiat tranſitus; examen ſexto loco ad ſtudia dirigenda neceſſarium erit, quo ſane diſcipulorum progreſſum comprobare oportebit. Ergo, niſi prius noſtri examinentur, à logica ad philoſophiam, à philoſophia àd theologiam ne tranſeant. Quare, abſoluta logica, inſtituatur examen, quod omnino accuratiſſimum erit, & ad illud conueniant Superior, eius conſultores, ſtudiorum præfectus, logicæ lector, ac deputati examinatores.

d. 31. R. n. 3.

Proinde quiſque ex noſtris logicis examen hoc ſubire debebit. Modus autem in eo ſeruandus in libello de ratione ſtudiorum in peculiaribus regulis huius examinis faciendi habetur. Sed vero de quolibet, qui fuerit examine comprobatus, iudicium à prædictis patribus feratur, an idoneus ſit, vt philoſophiæ deputetur. Quo de ſingulis lato, Prouinciali deinde cuiuſque aptitudo,

Examinatores iſti eligũtur à Prouinciali, vt ſupra c: 33: n: 4:

tudo, vel ineptitudo ab ijſdem patribus, ſcripto aperiatur. Et qui idoneus repertus nō fuerit, non tamen à ſtudijs omnino poterit amoueri, niſi prius res tota à Prouinciali, de voto ſuorum Aſſiſtentium decernatur. Idem prorſus eodem modo examen, & eadem iudicia fiant poſt abſolutam philoſophiam, pro tranſitu ad theologiam. Verùm, licet quis à philoſophia, vel à theologia, vt ineptus, vel inhabilis amoueatur; omnino tamen conſcientię caſibus ſub præceptore addiſcendis deſtinetur: ſic enim noſtro poterit ſe aptiorem reddere inſtituto. Cæterum ne ordo confundatur in illo examine, quo, vt ſupra decreuimus, ad generales theſes ſuſtinendas noſtri comprobantur; id tantum iudicium feratur, an ſcilicet pro illo diſputationis actu ſit, necne, qui aſſumi debet, idoneus; nihil vero pro tranſitu ad aliam facultatem decernatur. d. 31. R. n.2. & d. 30: R: in fine:

7. Iam vero ſeptimo loco non parum proderit, ſi ſexto quoque menſe peculiaris de ſtudiorum promotione congregatio peragatur. Quamquidem Superior conuocabit, & ad eam conuenient tum ipſe, tum ſtudiorum præfectus, tum etiam omnes eius collegij lectores. Et primum in ea aliquid de ratione ſtudiorum in peculiari de hac re libello, & ſimul etiam præcedens caput de exercitatione varia, & hoc aliud hic præſcriptum, coram omnibus legantur: deinde de eorum obſeruatione, quid occurrat, diſcutiatur; &, ſi quid aliud ad ſtudia promouenda, ſe offerat, pertractetur; tum autem de illorum ſtudiorum profectu Prouincialis certior fiat. Extet liber, in quo omnes actus ſtudiorū conſcribantur &c:d:14: c:g:19:in principio, & d: 31:R:n:4

8. Sed illud tandem, ad ſtudiorum iuuamen, vltimo loco remanet adiungendum, quod primarias vices inter reliqua ſibi iure vendicare videtur, eſtque pietatis feruor, ac deuotionis ſtudiū. Quare cauendum, ne orationis aſſiduitas, modeſtia, cæteræque virtutes aut negligantur, aut remittantur. Quin potius regulas omnes religionis exactè ſibi obſeruandas eſſe intelligant; ſed & conentur pręcipuè non aliud in ſtudiorum curſu intendere, quam, vt idonei euadentes, animarum lucra Domino perquirant. Et vt etiam externi ad deuotionis ſtudium excitentur, tum religioſæ vitæ exemplis, tum etiam exhortationibus, quas ſinguli lectores in ſua quiſque ſchola quandoque habeant, adiuuandi erunt.

Expediret etiam externos in academia non admittere, qui alicui noſtræ congregationi adſcripti non eſſent. Id tamen Superioris iudicio relinquatur.

CA-

CAPVT XXXVII.

De collationibus conſcientiæ caſuum peragendis.

1. DE primo ſtudiorum genere, quod ſcholaſticis conſtat, iam fusè peregimus; ſecundum adiungimus, quod moralia continet conſcientiæ caſuum exercitia, collationibus peragenda: quæ quidem præſcribimus ad hoc, vt debita ſemper, ac neceſſaria eruditione, ſacramenti pœnitentiæ munus exerceatur à noſtris.

2. Proinde in ſingulis exercitiorum domibus bis, in hebdomada, habeantur. In collegijs autem bis, vel ſemel, etiam ſi ſcholaſticæ ibi caſuum lectiones tradantur; ad eas porro conuenient ſacerdotes omnes, ijs exceptis, qui lectoris, vel concionatoris munus actu obibunt; nec aliquis, ſine Superioris licentia, abeſſe præſumat, quæ tamen raro concedenda erit: imo Superior ipſe, niſi grauiter impeditus, ibi intereſſe non omittat.

3. Adhæc modus in his habendis collationibus talis præſcribitur; vt ſcilicet deputetur à Superiore ex ſacerdotibus vnus, qui caſuum doctrinam bene calleat; iſque peculiarem aliquam ex eiuſdem præſcripto materiam ſeligat, de qua erunt collationes habendæ; ac de ea bis in hebdomada caſus aliquos, in tabella deſcriptos, & in collationum loco affixos proponat; & interim, qui debent collationibus intereſſe, omnes priuato ſtudio de propoſitis caſibus ſinguli ſingulos legant libros, quos cuique legendos Superior præſignauerit. Poſtea deſignato tempore, conuenientes, ſic collatio habeatur, vt primum de primo caſu ſingulos deputatus ſacerdos interroget, quid de eo ſentiat quiſque doctor: deinde quam ipſe tutiorem, ac probabiliorem priuato ſtudio doctrinam collegerit, proponat, & explicet; breuiter tamen, & diſtinctè; atque eadē ratione reliqui in ordine caſus conferantur, & decidantur. Idque totum exercitium ad horæ circiter ſpatium perdurabit.

CAPVT XXXVIII.

De priuatis cuiuſque literarum ſtudijs.

1. DE hoc ſtudiorum genere agentes, illud primo ſingulis commendamus, vt otia conculcantes, peruigili mente, iuxta ſuam quiſque profeſſionem, huic ſtudio incumbat, vt ſic in dies noſtro inſtituto ſe aptiores reddere poſſint.

De ijs, qui ſe prępa. rant ad legendũ; vel prædicandũ d. 29. R. n.2. & d. 33.n.1.

2. Et ne eis libri deſint, præſcribimus, vt in ſingulis noſtris domibus bibliotheca communis, librorum copia bene referta habeatur; ad cuius curam præfectus deputetur, qui ijs conſeruandis inuigilet. Clauſa tamen ſit, illiſque dumtaxat concedetur clauis, quibus ſtudere incumbit.

3. Sed proinde vt paratior cuique priuatis ſtudijs vacandi detur occaſio, concedimus, vt de licentia Superioris, quilibet poſſit libros, eleemoſynis ab eo hoc intuitu quæſitis, ſibi emere, aut alio modo comparare. Et illis quidem, donec ipſe in ea domo, vbi eos comparauerit, commoretur vtendi facultatem habeat; tamen ab ea cum diſceſſerit, eos omnes libros, vel aliquos nequàquam alteri religioſo relinquat, ſed omnino ad communem eiuſdem domus bibiliothecam deferre teneatur, peculiari indice apud ſe retento, præter eum, quem bibiliothecæ præfectus eodem modo habebit. Ibi verò ita adſeruentur, vt eos inde, vel eorum aliquem extrahere, nec etiam de Superioris licentia quiſquam poſſit, donec ad eamdem redierit domum, qui illos ſibi iam compararat. Licebit enim ei à bibilotheca extractos in cubiculum denuo, vt illis vtatur, accipere. Omnino tamen omnes illi, & ſinguli libri communitatis eſſe intelligantur, eiuſdem ſanè domus, in qua fuerint ab eo comparati, nec vllo vnquam tempore, aut vllo prætextu, ius aliquod ſuper illos eum habere volumus; & ideo in illis, neque proprium aliquod imprimere ſignum, neque etiam; *Ad vſum talis*; inſcribere quoquo modo poſſit, ſed dumtaxat inſignia eiuſdem noſtræ domus in ſingulis imprimantur. Concedimus ergo ſolum, vt, quoad in ea domo vixerit ipſe, continuato curſu illis valeat vti, Superior tamen facultatem quidem eos ipſi auferendi habebit: verum ſine rationabili, & graui cauſa id nullo modo efficiat.

4. Iam vero manuſcripta de Superioris licentia ſibi compa-

rare, cuique licebit, eiuſque vtendi ita facultatem habeat, vt etiam quocumque ierit, ea ſecum ferre liberè poſſit; nec à Superiore eidem, ſine graui cauſa, & ſine Generalis, vel Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium voto, ſiue omnino, ſiue ad tempus auferantur.

5. Poſtremo prophanos poëtas, & huiuſmodi alios libros legere, aut in cubiculo habere nemo poſſit ſed ſi quid ex illis vtiliter depromere ſit neceſſe, Superioris licentia habeatur.

CAPVT VLTIMVM.

De iis, quæ ad omnia noſtra ſtudia conſequuntur.

1. SCholaſtico ſtudiorum curriculo ſub præceptore peracto, qui illud abſoluerit, in eam, quam Prouincialis aſſignauerit, domum commigret, ibique ſpiritualia exercitia omnino peragere teneatur: vt tepefactus ſcientia ſpiritus, pietatis, & charitatis ardore recaleſcat.

2. Verum tamen vt ſcholaſticus quis, quam in ſchola didicerit theologiam, aptiori via priuatim, remotis impedimentis, percurrat, concedi ei poterit à Prouinciali, de Aſſiſtentium voto, vt illi per biennium priuato ſtudio, antequam ad aliud applicetur, in collegio vacet. Et vt magis hoc biennali ſtudio proficiat, interdum quæſtiones aliquas ſcholaſtico more, ac ſi eas in ſchola prælegere oporteret, conſcribat. Interdum etiam prælectiones coram noſtris in priuato domus loco habeat. Theologicis diſputationum actibus interſit: &, cum philoſophiæ diſputationes menſtruæ habentur, licebit etiam ei argumenta reſumere. Atque ijs, & aliis exercitationibus totum biennij tempus traducat. Pręcipuè verò quatuor diſputationum actus habere oportebit, tempore ei, congruenti diſpoſitionis ordine, deſignato. In quibus ſanè actibus, totas fere theologicas materias defendet; ita tamen, vt tres actus particulares ſint, vltimus generalis. Et in his quidem poterit, et ei licebit, à magiſtri ſententia diſcedendo, propriæ adhærere, eamque tueri.

Denique hoc ipſo biennali tempore ad theologicum, ſcripturæ etiam ſacræ, conciliorum, canonum, & controuerſiarum priuatum ſtudium adiungat, vt in omnibus eruditus euadens, idoneus Dei miniſter effici poſſit.

3. Proin-

3. Proinde autem ad ſcholaſtica ſtudia illud inſuper conſequitur, vt ſtatim, peracto curriculo, de quolibet ſcholaſtico, eiuſque in ſtudijs profectu certior fiat à Superiore Prouincialis, & à Prouinciale Generalis. Sed & qui fuerit à ſcholis eductus, quod de eo Superiores diſponant, toto animo exequi ſit paratus. d.12.c.g.

4. Poſtremo ad omnia in vniuerſum ſtudia ſiue ſcholaſtica, 19.
ſiue priuata, optima ratione conſequitur librorum ſcriptio, & ad commune bonum editio.

De qua ſanè ſtatuimus, vt qui ad eos ſcribendos talento eſt præditus, ſcribat quidem eos, tamen in lucem edere nulli liceat, niſi prius à P. Generali, & à præcipuis deputatis examinatoribus præcogniti, & approbati fuerint.

CONSTITVTIONVM CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM PARS SECVNDA.

De perſonis, quibus noſtra Religio conſiſtit.

VERA legum ratio, quibus Religio moderatur, & finem præfigit, ac media parat; ſic & perſonas deſignat, quæ per ea media ad eum finem contendant, de quibus iure ſecundam hanc partem inſtituendam aggredimur.

Et primo quidem de eis in communi agentes, præſcribemus ſimul varietatem, & appellationem, admiſſionem, & educationem, dimiſſionem, gradus, & ordinem.

Secundo in particulari de ſimplicibus clericis, de ſacerdotibus, ac tandem de laicis agemus.

CAPVT PRIMVM.

De perſonarum noſtræ religionis varietate, & appellatione.

1 QVod primo nobis loco de perſonis in communi diſponendum ſe offert, varietas eſt, & appellatio earum. Et varietatem quidem ſic prima veluti diuiſione deſignamus, vt aliæ ſint perſonæ ad clericalem ſtatum aſſumptæ, quæ ſpiritu non ſolum, ſed etiam literis inſtructæ, cultus diuini miniſterio fungi, & propriæ poſſint, & proximorum ſaluti intendere. Aliæ verò, quæ laicorum ſtatum aſſumant, quæque proinde, etſi literis inerudìtæ, propriæ tamen incumbentes ſaluti: domeſtica ſimul Religionis miniſteria, Marthæ officio fungentes, obeunda ſuſcipiant.

2. Ex his vero, quod ſpectat ad perſonas clericalis ſtatus, ſecundam diuiſionem ſic conſtituimus, vt aliæ ſint quæ probationis, ſeu nouitiatus tempus à die ingreſſus traducant; aliæ vero, quæ peracto iam probationis tempore, ſolemnem quatuor votorum profeſſionem emittant.

3 Sed ſiue nouitij ſint, ſiue profeſſi tertiam hanc eorumdem diuiſionem adiungimus, vt alij ſint ſimplices clerici, qui ad ſacerdotalem gradum nondum peruenerint; alij, qui in eo conſtituti ſacerdotio funguntur. Sed & ſacerdotes his etiam gradibus diſtinguentur; vt alij ſint in primo gradu conſtituti, alij in ſecundo; alij inſuper capitulares, qui ius ſuffragij habeant; alij verò, qui hoc iure careant. De quibus in ſpecie ſuo loco dicetur.

4. Quod autem ſpectat ad eas perſonas, quæ laicorum ſtatum aſſumunt, non alia diuiſione diſtinguendas eſſe cenſemus, quam vt aliæ ſint, quæ in probatione, ſeu nouitiatu verſentur, aliæ quæ, peracta probatione, ſolemnem trium votorum profeſſionem emittant.

5. Atque in vniuerſum ſic ſe habet perſonarum, quibus noſtra Religio conſtare debet, varietas: modo earum appellatio deſignanda. Et quidem communis omnium noſtrorum, ac totius Religionis appellatio hæc erit, nimirum; Clerici Regulares Minores.

6. Magis vero in particulari quod attinet ad varios perſonarum ſtatus, pro ijs quidem, qui clericalem ſtatum aſſumunt deſi-

deſignatur non alia, quam clerici appellatio: et ex ijs alij dicentur ſimplices clerici, alij ſacerdotes, alii nouitij, alii profeſſi. Pro ijs vero, qui literis ineruditi, domeſticis miniſterijs fungi debent, laici nomen aptum erit; laici quidem nouitij, vel laici profeſſi.

7. Adhuc tamen, ad perſonas ipſas in particulari deſcendendo, propria cuiuſque appellatio, quoad pronomen, nomen, & cognomen, talis erit; nempe nomen vel proprium, quod in ſeculo habuit, vel quod ei Superior in religionis ingreſſu impoſuerit: nam poterit Superior nomina tunc temporis ad libitum mutare, & noua imponere. Idque etiam conſentaneum erit, vt non animo, & affectu ſolum, ſed etiam nomine, toti mutentur, qui veterem hominem exuentes, nouum in ſanctitate induere parant. Verum quod de nouo nomen imponitur, tale ſit, vt nouitio non diſpliceat, imo obſoleta nomina, iuxta regionum vſum, nequaquam imponantur. Cognomen vero non aliud ſit, quam quod proprium eſt cuiuſque familiæ. Et denique prænomen pro ſimplicibus quidem clericis, ſiue nouitiis, ſiue profeſſis, ac etiam ſacerdotibus nouitiis, & pro laicis omnibus *frater* erit: pro ſacerdotibus verò profeſſis, prænominis inſigne erit, *pater*. Honorifico autem illo prænomine, *Don*, noſtrorum nemo vtatur. Sed & in loquendo, & in ſcribendo hos titulos noſtris dabimus; Patri quidem Generali, ac etiam Præſidi capituli generalis, *Paternitatem*. Vltra quem in ſcribendo, titulum non alium addemus, quam hunc, nimirum, *Admodum Reu. Pater*. Aliis vero Superioribus, & ſacerdotibus profeſſis, *Reuerentiam* dabimus: ſimplicibus denique clericis, & laicis peculiaris titulus non præſtetur.

CAPVT II.

De perſonarum ad noſtrum inſtitutum admiſſione in vniuerſum.

1. CONſequenti ordine perſonarum admiſſio præſcribenda ſe offert: per quam intelligimus eam, qua quis, ſiue clericus ſimplex, ſiue ſacerdos, ſiue etiam laicus ad noſtrum recipitur inſtitutum, & inter alios religioſos, vt religioſæ vitæ curſum cum eis arripiat, vel in ſtatu clericali, vel in claſſe laicorum adſcribitur.

ſcribitur. Quæ plane cum magnum in Religione momentum habeat, & prima ſit, & præcipua totius ſtatus religioſi ianua, optimis eam legibus communire oportebit.

2. Proinde autem completa ratione ad noſtrum inſtitutum admiſſus nemo cenſebitur, niſi is, qui expreſsè ad ſolemnem profeſſionem, per quam votis ligatur, emittendam, recipitur. Quam tamen neceſſe erit, vt velut optimæ diſpoſitiones, aliæ admiſſiones præcedant; & eas omnes tum pro iis qui clericalem, tum etiam pro iis, qui laicorum ſtatum aſſumunt, ad tres dumtaxat reuocamus.

3. Et prima quidem admiſſio erit ad ingreſſum religionis, per quam primo quis ad communẽ cum aliis viuendi ſocietatem recipitur, non tamen per eam ad annum probationis à Tridentino Concilio deſignatum admiſſus dicetur: nam ex peculiari volumus inſtituto, vt, donec ad huiuſmodi probationis annum admittatur, velut hoſpes interim habeatur; vt ſic, an ei noſtra Religio arrideat, obſeruet; & nos viciſſim, num ipſe nobis idoneus videatur, velut manibus contrectemus: ex quo primam hanc admiſſionem placuit nobis, admiſſionem non ſolum ad ingreſſum Religionis, ſed etiam ad hoſpitium appellare.

4. Quam deinde ſecunda admiſſio conſequetur, quæ ad annum probationis erit, eamque placuit ad habitũ appellare; nam licet, qui eſt admiſſus, vt hoſpes, religioſam veſtem geſtare debeat, vt infra diſponemus; habitum tamen Religionis nequaquam induiſſe ex noſtro inſtituto dicetur; ad quem profecto, hoſpitii tempore tranſacto, peculiari ritu admittendus erit, & ab eo tempore annus integer probationis à ſacro Concilio deſignatus incipiet.

5. Denique probationis tempore expleto, tertia admiſſio ſubſequetur, quæ ſanè erit pro clericis ad quatuor, & pro laicis ad trium votorum ſolemnem profeſſionem, & per eam recipietur quis, & Religionis membrum completa ratione efficietur; eique verè incorporari dicetur.

6. Atque in vniuerſum ſic procedet perſonarum admiſſio: Neceſſe tamen erit, vt ſingillatim de ſingulis ipſis agamus, &, quę ad eas requirantur, præſcribamus.

CA-

CAPVT III.

De prima perſonarum admiſſione, quæ eſt ad ingreſſum Religionis.

1. VT hæc prima Religionis ianua ingredi poſtulantibus recto ordine patefiat, neceſſe eſt, vt qualitates admittendorum; impedimenta, ne quis admitti poſſit; facultatem admittendi; & actus denique in admiſſione requiſitos pręſcribamus.

2. Et à qualitatibus incipientes, conſtare liquido debet; etſi charitatis zelo omnes in vniuerſum complecti, & eorum ſaluti abſque exceptione incumbere teneamur; ad Dei tamen gloriam, & commune Religionis bonum neceſſe erit, vt in admittendis ad regularem ſtatum delectus habeatur, nec promiſcue omni hominum generi ianua patefiat. Et ideo in ijs primò, qui ad clericalem ſtatum aſpirabunt, has qualitates iure expoſcimus

3. Quoad ſpiritum, vt ſint diuina gratia vocati; deuotione compuncti; perfectionis auidi; ad vitæ mixtæ inſtitutum propenſi; & tales, qui indicia perſeuerantiæ præ ſe ferant.

Quoad animi commoda; vt ſint iudicio pollentes, ingenio prędit i; ad ſcientias adipiſcendas idonei; &, ſi fieri poteſt, etiam ſermonis gratia dotati.

Quoad alias dotes; vt ſint humanioribus literis eruditi; natura quieti; corpore ſani, nam ſtrenuis Religio operarijs indiget: & denique, quoad eius fieri poteſt, non turpes, aut deformes, ne proximos, quibuſcum agendum erit, à nobis auertamus. Porro nobilitatem, ſi alię qualitates aderunt, vt neceſſariam non ponimus.

Poſtremò quoad ætatem; ea quidem talis erit, vt admittendos ad inſtitutum non inhabiles reddat; ſed & qui quadraginta annos excedet, eatenus eum admitti poſſe decernimus, quatenus à Prouinciali licentia habeatur. Cæterùm has omnes deſignatas qualitates, prudentiæ regula metiri oportebit.

Sed proinde in perſonis, quæ laicorum ſtatum aſſument, has eaſdem, quas modo pręſcripſimus, qualitates exigimus: præter eas, quæ in literis, ſermonis gratia, ingenij aptitudine, & huiuſmodi alijs, quæ propria ſunt clericorum, conſiſtunt. Sed

verò

verò ætas in illis talis erit, vt decem & octo annos expleuerint; & , ſi inſuper quadraginta annorum ætatis quis eſſet, ſine Prouincialis licentia admitti non poterit. Vlterius autem, quoniam temporalibus exercitijs ex propria vocatione deſtinandi erunt, ſtrenuitatem virium, & corporis vigorem præcipua ratione in eis requirimus: vt libenter, & facilè ſubeundis laboribus aptentur. Congruum etiam eſſet, vt arte aliqua pollerent.

5. Sed iam ad impedimenta tranſeamus, quæ obſtare poſſunt, & debent, ne qua perſona ad noſtræ Religionis ingreſſum, vt noſtræ vitæ curſum arripiat, admittatur; quæ ſanè omnia ad tria genera reuocamus. Et primi quidem generis ſint ea, quorum vnumquodque omnino volumus, vt noſtri inſtituti incapacem quemlibet reddat: adeo vt in eis, vel eorum aliquo nullo modo, nulloque prætextu, nec vllo vnquam tempore, neque etiam à Generali, quantumuis conſenſum præbeant Aſſiſtentes, diſpenſari poſſit.

Huiuſmodi ſunt, primò ſi quis hæreſeos aut ſuſpectus, aut denunciatus fuerit.

Secundò ſi quis à parentibus, aut auis Iudęis, vel Mauris progenitus ſit. d. 25. R, n. 2,

Tertiò ſi quis ex illegitimo toro natus ſit; excepto ſolum, ſi filius purè naturalis ex ſoluto, & ſoluta exiſtat, de quo mox infra diſponemus.

Quartò ſi publica infamia laboret, propter enormia peccata.

Quintò ſi quis aliquorum criminum, qualia ſunt, homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut grauiora, reus, vel ſuſpectus exiſtat, vt propterea damnatus ſit, aut ne damnetur formidet: niſi à Summo Pontifice diſpenſatio habeatur.

Sexto ſi quis ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum ſit grauatus, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxius, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia iam ſit ei illata; vel timendum ſit, ne inferatur: niſi tamen Summus Pontifex diſpenſationem dederit.

Septimo ſi quis tali ſit infirmitate obnoxius, ex qua ei intellectum, aut iudicium obſcurari contingat, vel ad huiuſmodi infirmitatem diſpoſitionem habeat.

Octauo ſi quis in alia Religione, vel etiam in noſtra laicus

nouitius, vel laicus profeſſus extiterit, & ad noſtrum clericalem ſtatum recipi poſtularet.

Nono demum ſi quis in aliqua Religione profeſſionem emiſerit. Atque hæc omnia, & ſingula erunt primi generis impedimenta.

d. 25. R. n. 1.

6. Secundi vero generis conſtituimus ea, quæ non omnino noſtri inſtituti incapaces efficiunt eos, qui admitti poſtulant, ſed ſolùm minùs idoneos reddunt, ita vt in eis aliquando diſpenſari poſſit, ſed rarò tamen, & ob maius Religionis bonum, atque non niſi à Generali, de ſuorum Aſſiſtentium voto; huiuſmodi ſunt;

Eſt primi generis dec. ſup. cit. n. 2.

Primo ſi quis non quidem auos, aut parentes Iudæos habuerit, ſed tantùm ſi à proauo, vel à proaua huiuſmodi labe infectis originem duxerit.

Secundo ſi quis filius naturalis ex ſoluto, & ſoluta exiſtat.

Tertio ſi quis in alia Religione nouitius fuerit.

Quarto ſi quis corpore notabiliter eſt deformis, vel defectum habeat in integritate membrorum.

7. Tertij generis impedimenta ſunt ea, quæ, etſi Generalis, vel Prouincialis diſpenſatione aliqua non indigent, difficilem tamen reddunt admiſſionem, & matura opus habent diſcuſſione, cuiuſmodi ſunt;

Primo ſi quis irregularitate aliqua irretitus teneatur; non enim admittendus erit, antequam impetrata diſpenſatio fuerit.

Secundo ſi quis in proprio ſenſu obſtinatus, vel ſuperbæ, contumacis, & faſtidioſæ naturæ exiſtat.

Tertio ſi iudicio, & ingenij aptitudine parum polleat.

Quarto ſi quis adoleſcentiæ fines egreſſus, facultatem aliquam non calleat, vel ad adipiſcendam ſit ineptus.

Quinto ſi quis non fuerit in ætate legitima, vel plus æquo prouecta, & complexionis debilitate ad Religionis onera ſit impar.

Sexto ſi quis crimen aliquod, præter ea, quæ in primo genere ſunt præſcripta, perpetrauit, ac fuerit de illo accuſatus.

Septimo ſi quis ſorores collocandas, vel parentes egenos habeat.

Octauo ſi quis, vt parum idoneus in vna noſtra domo admiſſus non fuerit; vel ſi admiſſus, habitum ſiue ſponte ſua, ſiue

à pa-

à patribus dimiſſus reliquerit: non enim admittendus erit, niſi, cur alibi admiſſus non fuerit; aut quæ dimiſſionis habitus ca uſa fuerit, ante cognoſcatur. Proinde diſcuſſione, & maturitate in his omnibus opus erit, & omnia prudentiæ trutina examinare oportebit.

8. Cæterum hæc ipſa triplicis generis impedimenta, eodem prorſus modo, quo clericorum admiſſionem impediunt, laicorum etiam admiſſioni obſtabunt. Excipimus impedimenta illa tertij generis de ingenij ineptitudine, de carentia literarum, ac de irregularitate, quæ ad laicorum ſtatum nihil referunt.

9. Iam verò, poſt impedimenta, tertio loco admittendi facultas ſe offert, quæ ſanè in ſingulis noſtris domibus cuiuſcumque generis, vbi nouitiatus non erit, & in nouitiatibus item ſeparatis, penes locale capitulum reſidebit: ita tamen, vt antequam de aliquo admittendo decernat, prius Prouincialis fiat certior, eiuſque reſponſum expectetur. Nec ſine eius licentia congregari in hoc caſu capitulum poterit, vel admiſſio decerni. Si tamen grauiſſima aliqua ratio quempiam cito admittendum eſſe vrgeret, adeo vt Prouincialis licentia expectari nequeat; tunc ſanè poterit locale capitulum eum admittere: ſed tota deinde res Prouinciali deſcribatur. Cæterum in domibus exercitiorum, vbi coniunctus nouitiatus erit, admittendi facultatem etiam locale capitulum eiuſdem domus habebit; verùm nulla ei Prouincialis licentia neceſſaria erit.

10. Sed vlterius actus præſcribentes, quos in hac prima admiſſione peragere oportebit, inter eos primo loco ponimus deputationem, quæ à Superiore fieri debet, vnius, qui ingredi poſtulantem in omnibus dirigere ex mùnere habeat, donec admiſſus Religionem ingrediatur.

11. Secundo erit allocutio, vt ſcilicet, qui admittendus erit, cum aliquibus admittendi facultatem habentibus, de ſua vocatione, & Religionis propoſito priuatum ſermonem habeat: ij verò ſint Superior, & Conſultores; cæteri vero capitulares cum eo colloqui non neceſſariò debent.

12. Tertio erit examen, quo facilè innoteſcet, an is, qui admitti poſtulat, qualitates ad noſtrum inſtitutum requiſitas habeat, vel aliquo ex præſcriptis impedimentis cuiuſcumque generis detineatur. Quare deputandi erunt à capitulo locali ex Conſultorum numero, duo examinatores; qui ad examen cum procedent, interrogent admittendum, primo de impedimentis

primi generis, prudenter tamen, & dexterè, ne is, aut pudore afficiatur, aut occultandi occaſionem habeat; & ſi forte in eo ex his impedimentis vnum aliquod detegatur, nil amplius remanet faciendum, ſed modeſtis, & placidis verbis quamprimum dimittatur. Si verò nullum ex his in eo reperiatur, vlteriùs interrogetur de alijs impedimentis ſecundi, & tertij generis, de qualitatibus requiſitis; & præſertim, ſi ad ſtatum clericalem aſſumendus erit, de eruditione, ingenij aptitudine, iudicio, & huiuſmodi alijs, quæ latè in regulis præcipuis examinatorum præſcribuntur: omnia verò cum Superiore conferantur.

13. Adhæc quartus actus, ſcilicet informatio, & inquiſitio adiungetur; pro eo nimirum, qui nobis parum notus videtur, hac ratione, vt, cum fuerint ab ipſo, eius amici, ſodales, propinqui, præceptores ſignificati, diligenter ab ijs, & ab alijs, qui eum agnoſcunt, exquiratur eiuſdem genus, mores, vita, fides, inſtitutum, & huiuſmodi reliqua, quæ ab ipſomet, qui ingredi poſtulat, ſciſcitari non eſt æquum: nullo autem modo recipiatur, ſi hæc informatio non præcedat, quę proinde examinatoribus tantum neceſſariò incumbet.

14. Præterea verò quintus actus, videlicet probatio ſpiritus conſequetur, qua per plures dies, vel hebdomadas (niſi quid obſtet, quod moram non patiatur) qui admitti petit, probetur, & vario, ſi opus fuerit, experimento dignoſcatur; atque interim inſtituti noſtri ratio, &, quæ religioſis incumbunt onera, explicentur. Et, ſi ad laicalem ſtatum admittendus quis erit, proponendum ei, quod onera Religionis in domeſticis miniſterijs, etiam viliſſimis ſubire, & Marthæ officio fungi debebit: quod ad ſtudia, & ordines nulla ei promotio, ex ratione ſtatus, conceditur, & cætera huiuſmodi. Interim etiam curandum, vt qui ſic probatur, ſacramenta confeſſionis & communionis in eccleſia noſtra frequentet. Imo, ſi temporis, & perſonę ratio id patiatur, ſpiritualibus exercitijs peragendis deputari poterit: vt ſic magis probata virtute, ſecurius Religionis inſtitutum ab eo arripi poſſit.

15. Porro, his omnibus ſic diligenter præmiſſis, ſextus actus addendus, qui ſcilicet erit capituli localis congregatio, ac in eo acceptatio; nec vllo modo admitti quis poterit, niſi, congregato capitulo, maior capitularium pars aſſenſum præbeat: ſed verò hac ratione in eo procedatur, vt prius examinatores referant, quid de nouitij aptitudine ſentiant; tum verò

per

per publica ſuffragia decernatur, an is admitti debeat, vel dimitti, vel etiam ad aliud tempus eius admiſſio prorogari, prout in Domino magis expedire cognouerint. Si admittatur, eius ſtatim admiſſio in libro actuum localium à Secretario notetur, & ab omnibus capituli patribus ſubſcribatur.

d. 14. R. n. 2. & d. 25. R. n. 3.

16. Sed & poſtremus actus conſequenter erit nouitij ingreſſus, de quo ſtatuimus, vt, vbi nouitiatus domui coniunctus habebitur, ſtatim à Superiore nouitius magiſtro inſtituendus tradatur; & neque per diem in alio domus loco detineatur, ſed illico ad nouitiatum mittatur, ibique conſtitutus, vt hoſpes per quatuor menſes habeatur. Et, vt eo tempore quo perdurabit hoſpitium, non alienus omnino à Religione videatur, religioſa veſte, poſt aliquos dies, vel etiam ſtatim induendus erit, ſed ſine ſolemnitate, vel ritu aliquo; quæ ſanè veſtis eiuſdem materiæ & formæ erit, prout eam alij geſtant religioſi; in hoc tantùm diuerſa, quod, pro hoſpitij ſigno, ſciſſuram in fimbria à parte anteriori habebit: atque ſic indutus, in nouitiatu cum cæteris nouitijs ſub Magiſtri cura educabitur, & viuet. Eius autem ſecularia indumenta, & alia, quæ ſecum tulerit bona in communi veſtiario reponantur, & ab ipſo nouitio manu propria in peculiari eiuſdem veſtiarij libello adnotentur, ibique adſeruentur, donec profeſſionem nouitius emiſerit. Denique in peculiari libro conſcribendus etiam erit nouitij ingreſſus, præſignato ibi die, menſe, & anno.

17. Illud autem vltimò omittendum non erit, vt, ſi quando filius quis naturalis exiſtens; vel, qui in alia Religione nouitius fuerit; ſiue etiam, qui à proauo, vel à proaua Iudæis originem duxit; in noſtra Religione de Generalis, & Aſſiſtentium licentia admittantur; nemo ſit qui audeat, nedum tale eorum genus, aut quem reliquerunt ordinem improperare; ſed qui vel muſſitare de hac re auſi fuerint, grauiter punientur. Dedecet enim religioſos viros de genere, & proſapia vel ſua, vel aliorum ſermonem texere; & peccant non leuiter ij, qui nugis, & dicterijs violant charitatem: ſatius fuerit, & prudentius actum reputabitur, vt cum huiuſmodi labes ingredi poſtulantium, vel iam ingreſſorum contectæ forſan fuerint, qui illas reſciuerit, alijs quidem celet, Superiori verò ſub ſecreto deferat. Qui tamen ſe naturalem eſſe, vel in alia Religione fuiſſe nouitium tacuerit, ſi poſt profeſſionem id ſciatur, mulctetur, ſed arbitraria pœna. Cæterum ſi accidat quod poſt acceptationem nouitij in capitulo, ipſe

Origo à Iudæis pertinet ad impedimentũ primi generis d. 25. R. n. 2.

ipſe ingreſſum vltra duos menſes differat, volumus vt iterum capituli conſenſus accedat, ſine quo recipi nequaquam poſſit.

CAPVT IV.

De ſecunda perſonarum admiſſione, quæ eſt adhabitum.

1. AD Religionis ingreſſum iam admiſſi, vt eius ſtatui, diuina gratia dirigente, arctiori vinculo copulentur, neceſſaria eis, gradatim procedendo, ſecunda admiſſio erit, qua ad habitum, ſeu ad annum probationis recipiantur.

d.25. R. n.3. 2. Et huius quidem admiſſionis tempus ante omnia præſcribentes decernimus, quod ad clericos attinet, vt non niſi poſt quatuor à die ingreſſus elapſos menſes, quibus planè eorum hoſpitium concludi debebit, ad habitum Religionis admittantur: quamuis ſi iuſta interceſſerit cauſa, poterit quidem non localis Superior, vel locale capitulum, ſed Prouincialis de Aſſiſtentium voto, illorum menſium contrahere ſpatia; ita tamen, vt hoſpitium non omnino tolli videatur; & idcirco hæc temporis contractio, ante expletum à die ingreſſus menſem vnum, à quoquam fieri nulla vnquam ratione valebit: ſed & prætetea, ſicut aliquando contrahi, ita etiam, iuſta intercedente cauſa, hæc quatuor menſium ſpatia, tum à Patre Prouinciali, tum à locali capitulo, tum etiam de Conſultorum voto à locali Superiore protrahi poterunt.

Quod autem attinet ad tempus ſecundę laicorum admiſſionis, eorum quidem hoſpitium duorum tantùm annorum ſpatio concludetur; quibus elapſis, tempus erit eos ad habitum admittendi. Nullatenus tamen ſpatium illud contrahatur, id quod indiſpenſabile prorſus erit; protrahi verò, ſi iuſta cauſa id expoſcere videatur, ab ijſdem poterit, qui clericorum hoſpitium protrahere valent.

3. Iam verò quas exigimus in admittendis qualitates, eædem prorſus erunt, quas ſupra in prima admiſſione præſcripſimus: & has inſuper addimus, vt ſcilicet ſiue clericus, ſiue laicus hac ſecunda vice admittendus, generali ſe peccatorum confeſſione purgauerit; ſpiritualia ſimul exercitia peregerit; in fidei

rudi-

rudimentis probè inſtructus euaſerit; & in ſpiritu ſic profecerit, vt ei dignè religionis habitus poſſit aptari.

4. Proinde impedimenta, quæ primæ obſtant admiſſioni, eodem prorſus modo huic ſecundæ intelligantur obſtare: nam, licet ante ingreſſum, ex ipſis aliquod non fuerit in nouitio detectum, ſi tamen poſt ingreſſum detegatur, vel etiam de nouo emergat, ſecundam hanc ſiue clerici, ſiue laici admiſſionem impediet. Ergo videndum, an illud, quod detegitur, & emergit, ſit primi generis impedimentum; quod ſi adſit, dimittendus omnino nouitius erit; an ſecundi generis, & tunc Generalis ſtatim conſulendus, ſi forte diſpenſare velit, vel non; an tertij generis, & tunc maturitate, & diſcuſſione res peragenda erit.

5. Adhæc de facultate admittendi hac ſecunda vice nouitios ſtatuimus, vt ea ſit, quod ſpectat ad clericorum admiſſionem, penes locale capitulum; nec aliqua, ſicut in prima, neceſſaria erit à Prouinciali licentia: verum laicum admittendi habebit quidem locale capitulum facultatem; nihilominus, antequàm illud cogatur, omnino volumus, vt neceſſario Prouincialis licentia habeatur; qua deinde habita, ſi decernatur admiſſio; eam tamen executioni mandari nullatenus poſſe ſancimus, antequam decretum illud à Prouinciali, ſuiſque Aſſiſtentibus approbetur.

6. Sed tandem quod attinet ad actus, quos hæc ſecunda requirit admiſſio, inter eos primus erit, eiuſdem admiſſionis petitio, quæ ab ipſo nouitio, ſiue clerico ſiue laico priuatim tum Superiori, tum eius Conſultoribus fiet; cum quibus ſat erit ſermonem de hac re habere; nec aliam cum cæteris capitularibus allocutionem intermiſcere oportebit. Sed verò publicè etiam in refectorio medio genuflexus nouitius Superiori eamdem petitionem humiliter faciat, iuxta antiquum noſtræ religionis morem.

7. Secundus actus erit examen, quod circa nouitij ſpiritualem profectum inſtitui merito debet, ſic tamen, vt, vbi nouitiatus domui coniunctus habebitur, coram Superiore, eiuſque Conſultoribus, & nouitiorum magiſtro peragatur, id quod in nouitiatibus ſeparatis, coram ipſo magiſtro, & Conſultoribus inſtituetur. In eius autem praxi ea omnia obſeruentur, quæ in regulis examinatorum præſcribuntur.

8. Conſequetur deinde tertius actus, qui erit capituli localis congregatio, in quo, relatione primum à nouitiorum magiſtro, & ab iis, qui examine eum probarunt, de qualitate, & ſpiritu d.17. R. d.14. R. n.2.

ritu

ritu nouitii, per vota; per publica ſuffragia vel admiſſio, vel dimiſſio, vel etiam eius admiſſionis dilatio decernatur, prout magis Religionis bono conſuli poſſe dignoſcetur.

9. Sed & inſuper proteſtatio, vt quartus actus addatur, quę à Præpoſito in eodem congregato capitulo ipſimet nouitio, ſiue clerico, ſiue laico admittendo fiet; quatenus noſtræ mentis eſt, quod nullo modo eum ad noſtrum inſtitutum, & ad profeſſionem admittere intendamus, ſi forte proceſſu temporis quandocumque, etiam poſt ſolemnem profeſſionem, in eo impedimentum aliquod
d.15. R. detegatur ex iis quatuor, quæ in proteſtationis formula, mox ſub-
n.3. iungenda continentur: adeo, vt etiam profeſſus à noſtra Religione, relicto noſtro habitu, ſit dimittendus omnino: cum ea profeſſio fuerit contra noſtram voluntatem emiſſa. Proinde autem proteſtationis formula talis erit.

Nos. N. Præpoſitus NN. & Capitulares domus N. ciuitatis N. proteſtamur tibi NN. quod quandocumque, & quomodolibet ad noſtram notitiam peruenerit, te, quod abſit, eſſe vel fuiſſe vllo vnquam tempore labis hæreticæ legitimè condemnatum; vel ſecundo ex ſacrilego toro, ratione profeſſionis ſolemnis, vel ordinis prouenientе, procreatum; vel tertio in alia religione te profeſſionem emiſiſſe; vel quarto te deſcendentem à Mauris ſiue Iudæis eſſe, qui publicè dicuntur chriſtiani noui; in iis gradibus, in quibus per literas apoſtolicas in regnis Hiſpaniarum, præſertim Luſitaniæ, habentur inhabiles ad curam animarum; ex nunc pro tunc, pronunciamus te fore, & eſſe inhabilem ad noſtræ Religionis ſtatum, atque etiamſi profeſſus vtcumque fueris, eſſe, & fore te, tanquam inhabilem, & noſtri habitus, & Religionis incapacem, quamprimum dimittendum, & ex noſtro ordine, relicto nobis noſtro habitu, eiiciendum.

Subſcriptio nouitii. Ego NN. prædictæ proteſtationi mihi factæ, & coram me lectæ modo, quo ſupra, & omnibus in ea contentis penitus aſſentior. In ciuitate N. die N. menſis N. anni N. manu propria.

Porro hæc eadem proteſtatio laico, ſed vulgari idiomate fiet, & eodem modo ab ipſo ſubſcribatur.

Vlterius autem, proteſtatione ſic peracta, ſiue clerico, ſiue laico, nouitius manu propria in peculiari proteſtationum libro eam ſibi fuiſſe traditam ſcribat, & duo teſtes ipſiuſmet capituli ſubſcribant: ſed ſi quis laicus ſcribere neſciat, alter eius nomine ſubſcribat, ipſe vero ſignum crucis apponat.

10. Po-

10. Poſtremo autem vltimus actus erit habitus ſuſceptio, quæ quidem non publicè in eccleſia, ſed priuatim in choro, vel in ſacrario, aut oratorio, eo ritu fiet, qui in libello de ritibus habetur. Poſt quem actum ſecretarius in peculiari libro notet talem nouitium, ſiue clericum, ſiue laicum, tali die habitum ſuſcepiſſe.

CAPVT V.

De tertia perſonarum admiſſione, quę eſt ad ſolemnem profeſſionem.

1. AD ſublime illud, quod profitemur in terris, cæleſtis vitæ genus, completa ratione aſſumptus ille dicetur, qui fuerit tandem ad ſolemniter profitendum admiſſus: ſic enim Religioni incorporatus, permanente quadam vnione, ſpiritualis vitæ curſum ad finem vſque contendens, Deo adiutore, proficere poteſt. Porro profeſſionem, quæ eſt ſimplicium votorum, in noſtra Religione, nullo vnquam tempore ſiue pro clericis, ſiue pro laicis, admittendam eſſe decernimus.

2. Sed vero tempus in primis huius ſolemnis admiſſionis præfigentes, nil aliud addendum eſſe cenſemus, præter id, quod à ſacro Concilio Tridentino nobis obſeruandum incumbit; & ſolum iniungimus, vt, probationis tempore elapſo, quod apud nos à die ſuſceptionis habitus, peracto hoſpitij tempore, inchoatur, Superior in locali capitulo, nouitium iam probatum ſiue clericum, ſiue laicum omnino proponat; & habilis inuentus ad profitendum admittatur; ineptus vero repertus dimittatur; vel ſaltem, vbi vrgentiſſima ratio interceſſerit, differri ab eodem capitulo poterit ad aliquod tempus profeſſio, dummodo ſpatium ſex menſium non excedat. d. 25. R. n. 3.

3. Qualitates verò in omnibus ijs tum clericis, tum laicis, vt ſic ſolemniter admittantur, requiſitæ eæ prorſus ſint, quas ſupra primæ admiſſioni præfiximus; & alias inſuper addimus; vt ſcilicet ſpiritualis vitæ curſum, non lento gradu, nouitius admittendus arripuerit; vt Religionis inſtituto fuerit omnino imbutus; vt, ſi iuſtas ob cauſas ante habitus ſuſceptionem, exercitia ſpiritualia forte peragere non potuerit, ſaltem ea confecerit, antequā ſolemniter admittatur.

4. Impedimenta proinde, quæ huic poſſunt admiſſioni obſtare, eadem ſint, quæ primam, & ſecundam impediunt, eo gradu triplicis generis, & eodem modo, quo ibi præſcribuntur; nec aliud addendum eſſe cenſuimus. Et pari ratione admittendi facultas, eodem modo, ac in prima admiſſione, ſit penes locale capitulum: ita vt ſemper, antequam congregetur, Prouincialis licentia habeatur; quam quidem ſe ſolo concedere poſſit; negare, vel differre nequaquam, ſine Aſſiſtentium voto. Sed & pro laico ſolemniter admittendo non ſolum eiuſdem Prouincialis licentia, eodem modo concedenda, vel differenda, quo iam præſcripſimus, vt cogatur capitulum neceſſaria erit; ſed etiam volumus, vt, ſi decernatur admiſſio, executioni tamen mandari non poſſit, antequam decretum illud à Prouinciali, eiuſque Aſſiſtentibus prius approbetur.

5. Poſtremo autem ad actus deuenientes, primus erit examen quoddam, quod ante ſex menſes ante profeſſionis emiſſionem, circa nouitij ſpecialem profectum, eodem fere modo, ac illud, quod ante habitus ſuſceptionem, peragetur.

6. Secundus actus, vt, cum profeſſionis tempus proximè inſtare videtur, nouitius humiliter à Superiore, & eius Conſultoribus profeſſionem priuatim petat: neque neceſſe erit cum alijs patribus capituli ſermonem aliquem de ea re habere. Sed & publicè etiam in refectorio medio genuflexus, Superiori eamdem petitionem faciat, ſicut eam pro habitus ſuſceptione effecit.

7. Tertius actus aliud erit examen, quod eo proximo tempore, eodem modo peragetur, ac præcedens, quod ante ſex menſes peractum eſt.

8. Quartus deinde conſequetur actus, qui erit capituli congregatio, habita prius Prouincialis facultate, ſine qua nec capitulum in hoc caſu cogi, nec profeſſio vlla decerni poterit; & peracta à nouitiorum magiſtro, & ab ijs, quibus examen incumbit, relatione; vel admiſſio decernatur, vel dimiſſio, vel etiam admiſſionis dilatio, prout iam ſupra præſcripſimus. Admiſſione vero decreta, adnotetur ea à ſecretario in libro actuum localiũ, & ab ipſis capituli patribus ſubſcribatur.

d. 27. R. & d. 25. R. n. 3.

9. Et qui vltimus deinde remanet actus, eſt ipſamet ſolemnis profeſſionis emiſſio, quæ ſanè publicè in eccleſia, ſolemni ritu, peragetur: prout in libello de ritibus. Et qui fuerit ad clericalem ſtatum aſſumptus, quatuor emittet ſolemnia vota, prout ſupra de votis decreuimus; & illis emiſſis, paulo poſt, priuatim in ſacra-

crario, vel in choro iuramentum proferet, quod ad dignitates intra Religionem non procurandi attinet. Laicus vero tria tantum ſolemnia vota, vt etiam ibi præſcripſimus, nuncupabit. Et ſic demum, emiſſa profeſſione, eam ſimul etiam cum iuramento in profeſſorum libro, manu propria, nouiter profeſſus clericus regiſtret, coram duobus teſtibus, qui in actu emiſſionis præſentes fuerint, & ipſimet eam ſubſcribant.

Simili modo laicorum profeſſio regiſtretur; &, ſi quis eorum ſcribere neſciat, ſaltem ſigno crucis eam ab alio regiſtratam, communiat, & ſecretarii manu firmetur. Atque hæc tandem eſt tertia admiſſio, qua quis Religioni complete vnitur, & eius mēbrum omnimoda ratione efficitur.

CAPVT VI.

De perſonarum educatione in ſpiritu in vniuerſum.

1. SPiritum ſalutis concepiſſe non ſufficit, ſi non aſſiduis incrementis ſedulo foueatur. Et ideo ad inſtituti religioſi perfectionem admiſſi, vt ea valeant concepta virtute enutriri, ſpiritualem eis educationem, poſt admiſſionem, præſcribimus.

2. Quæ profecto in vniuerſum, etſi ſemper ad totius vitæ curſum perdurare debebit, præcipua tamen ratione, duobus eam temporibus inſtituendam eſſe decernimus. Primo quidem ante profeſſionem, & ad nouitios ſpectat. Secundo poſt profeſſionem, & ad profeſſos ipſos attinet. Sed ſicut prima omni modo neceſſaria erit, ac primus nouitiatus appellabitur; ita ſecunda non minori ſtudio complectetur; & vt ſecundus nouitiatus habebitur. Singillatim autem de ſingulis per ſequentia capita agemus.

CAPVT VII.

De prima perſonarum educatione in ſpiritu, quæ ad nouitios attinet.

1. NOuitiorum educatio in religioſæ vitæ perfectione tantum ponderis habet, vt pro comperto ſit, ex illis bene, aut male educatis Religionis incrementum, aut perniciem depen-

dere; & pium quodlibet, ac ſanctum inſtitutum labefactari oportet, ſi vel in admittendis ad Religionem nouitijs nullus delectus habeatur; vel, ipſis admiſſis, eorum poſtea educatio negligatur. Quare enitendum ſemper erit, vt in hoc tam arduo, & tanti ponderis negotio vires omnes colligamus, & ſtrenuo illud, atque indefeſſo robore, Domino adiuuante, proſequamur.

2. Porro ad totum illud temporis ſpatium, quod ad profeſſionis vſque diem excurret, & ab ipſo die ingreſſus incipiet, primus hic nouitiatus perdurabit.

3. Proinde verò, vt omnia rite diſponantur, locus in primis ad educationem aptus deſtinetur; perſonæ ad eam traducendam deſignentur; nouitiorum magiſter, cui educandi munus incumbet, deputetur; impedimenta, quæ educationi obſtare poſſunt, remoueantur; actus denique, & exercitia, quæ educationem hanc perficiunt, & complent, peragenda aſſumantur. De quibus omnibus ſingillatim agendum.

CAPVT VIII.

De locis ad primam nouitiorum educationem deputandis.

1. SPiritualis nouitiorum educatio, recto ſemper ordine dirigetur, ſi ad eam, vt par eſt, peculiaria loca deputentur, in quibus ipſi, virtutum ſtudio inhærentes, remotis impedimentis, alantur. Et ideo omnino volumus, vt hæc loca, velut præcipuę ſanctitatis ſcholæ, in ſingulis prouincijs ad nouitios inſtruendos deſignentur.

2. Sed verò duplici ratione hi poterunt nouitiatus inſtitui: Primo vt prorſus ſeparati à qualibet noſtra domo exiſtant. Secundo vt coniuncti alicui domui deputentur. Et profecto ſeparatos omnino conſtituendos eſſe ſancimus: coniunctos autem nullo modo, niſi, vbi forte in aliqua prouincia ſeparatus ſufficiens, & capax conſtitui tam cito non poſſit.

2. Quo tamen caſu, non alibi, quam exercitiorum domibus, & nulla prorſus ratione domibus receſſus, vel collegijs coniungantur: ita tamen, vt hic coniunctus nouitiatus ab ea, quæ profeſſorum eſt, habitatione ſit omnino ſeorſim diſtinctus, peculiari ianua, quæ claue obſeretur, occluſus; & hæc ipſa cla-

clauis ſolummodo penes magiſtrum, eiuſque ſocium, & etiam penes ianitorem erit, aliorum nemini concedenda.

Et ipſe proinde ianitor ex ijſmet, qui in nouitiatu degunt, modeſtia, fidelitate, & probitate conſpicuus à magiſtro deputetur: à quo etiam & mutari, & alius ſubrogari ad libitum poſſit.

4. Iam verò diſpoſitio loci ſic ſe habeat, vt in eo oratorium ad ſpirituales functiones, & alia deputata loca, tum ad collationes, & magiſtri inſtructiones; tum etiam ad cæteras communes commoditates habeantur.

5. Adhæc arctiſſimè iniungimus, vt omnino nouitiatuum multitudo vitetur, vt ſic Religionis bono melius conſulatur, & vno ſpiritu facilius omnes alantur. Quapropter ſat tantum erit, ſi vnus, ad ſummum duo ſeparati nouitiatus in ſingulis prouincijs conſtruantur. Coniuncti verò, vbi ſcilicet in prouincia eos conſtituere oportebit, tot numero ſint, quot neceſſarios prouinciale capitulum iudicabit: ad quod planè ſpectabit nouitiatus omnes prouinciæ deſignare. Debet etiam accedere confirm. conſultationis generalis a p.4.c.24. n.8.

CAPVT IX.

De perſonis ad primum nouitiatum peragendum deſtinandis.

1. NOuitios omnes, & ſingulos, ſiue ſimplices clericos, ſiue ſacerdotes, ſiue etiam laicos ſine vlla exceptione ab ipſa die ingreſſus, ad vſque diē profeſſionis, ad hanc primam educationem ſub magiſtri cura deſignamus; nec vllo modo, quocumque prætextu, eorum quilibet ab eo vnquam eximi poſſit.

2. Porro omnes ii, & ſinguli in conſtituto nouitiatu alantur: nec vlla ratione extra hunc locum nouitium quempiam educari poſſe decernimus.

3. Excipimus fratres laicos, qui quidem, ſi in coniuncto nouitiatu viuent, ſex ibi menſes manebunt: ſi autem in ſeparato, annum ibi integrum traducent: nec vllo modo, antequam hæc tempora abſoluantur, ab ijs locis educantur. Poterit tamen, ſi ſic expediens erit, relatione à magiſtro habita Prouincialis concedere, vt laicus quis diutius in illis locis perſiſtat. Sed tandem extra nouitiatum ante profeſſionem laici educti in profeſſorum

habi-

habitatione degent quidem, ſub cura tamen cuiuſdam ſacerdotis à Superiore eis præficiendi, qui in ſpiritu, & virtute eos dirigere ex munere habeat: ſed neceſſe non erit, vt in peculiari, & ſciuncto domus loco ſimul cohabitent, & alantur. Proinde autem duobus menſibus ante profeſſionis tempus, exercitijs ſpiritualibus diligenter, ac ſerio, vt æquum eſt, applicentur.

d. 27. R.

CAPVT X.

De magiſtro, cui primæ educationis munus incumbit.

Magiſtri priuilegia d. 8. c. g. 18. d. 34. R. n. 1. et d. 60. R. n. 1

1. VT lubrica tironum ætas, & inexperta adhuc, & rudis natura, à ſeculo ad clauſtra tranſlata, inſtituti religioſi perfectionem ſeriò ediſcat, omnino nouitiorum magiſter neceſſarius erit; qui, velut ſapiens cultor, nouellas Dei plantationes, ſpirituali doctrina irriget, & colat; &, velut ouium paſtor, in Religionis ouili congregatas eas adſeruet, defendat, & alat.

2. Proinde cum functio hæc ſit plane ardua, & quæ peculiari dote præditum ad eam exercendam requirat, non omnibus promiſcuè ſine magno delectu iniungenda erit: ſed magiſtri qualitates perſcrutandæ; quas quidem in eo tales omnino expoſcimus, vt ſcilicet ætate ſit maturus, gradu ſacerdos profeſſus, & in nouitiatibus ſeparatis capitularis deciſiuus, & in coniunctis etiam, ſi fieri poteſt, deciſiuus: ſin autem, ſaltem conſultiuus. Sit quoque & doctrina refertus, ac præcipuè ſcholaſtica theologia imbutus, & corpore ſanus: animo conſtans, natura benignus; non ſine affabilitate grauis; zelum Dei cum manſuetudine præ ſe ferens; atque ab omni animi perturbatione longiſſime alienus. Inſuper morum ſit integritate conſpicuus, inſtituti proprij obſeruator; ad ſubeunda Religionis onera promptus; mortificationis, & orationis ſtudio addictus; prudentia tandem, & experientia probatus; & talis, qui ſuos nouitios ad virtutum faſtigium prouehere, non eruditione tantum, ſed etiam probitatis exemplo poſſit.

Impedimenta cómunia, ne eligatur, infra ponũtur p. 4 c. 9. per totum.

3. Electio porro huius magiſtri in prouinciali capitulo per ſecreta ſuffragia fiat; & is potiſſimum eligatur, qui iam prædictis fuerit qualitatibus inſignitus, vt tam arduum munus dignè poſſit obire; & intelligant electores, non minus in magiſtri nouitiorum, quàm in ipſiuſmet Generalis electione elaborandum eſſe:

cum conſtans ſit à bonis, vel malis nouitiorum educatoribus totius Religionis vel perniciem, vel reparationem pendere: ſi enim nouitiorum educatio aliquo modo vacillet, regularis ędificij fundamenta vacillare oportet. Quare, vt inconcuſſa firmentur, firmum ſemper, & conſtans hoc ſit in Religione propoſitum, vt apti ſemper, & idonei nouitijs educandis magiſtri præficiantur.

4. Quod verò ad authoritatem attinet; habeat magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa nouitiorum inſtructionem, & circa nouitiatus regimen; ita tamen, vt in nouitiatibus coniunctis tam ipſe, quam nouitij eius domus Præpoſito ſubditi eſſe intelligantur. Verum in illos nemini; Viſitatoribus viſitationis tempore, ac Superioribus maioribus, vel etiam ipſo locali Præpoſito exceptis; quouis colore ſe ingerere liceat. In nouitiatibus verò ſeparatis ipſemet magiſter eiuſdem loci Præpoſitus erit; qui proinde, ſicut & cœteri omnes ibidem commorantes Prouinciali, non autem alterius domus Præpoſito ſubditi erunt.

5. Munia proinde, quæ magiſtro obeunda incumbunt, etſi multa ſint, & varia, præcipua tamen hæc tria eſſe conſpiciuntur; videlicet nouitios virtutum exemplo informare, ſpirituali doctrina inſtruere; imperio, ſeu prudentia dirigere. Quæ quidem omnia in magiſtri regulis, in libello de inſtructione nouitiorum late explicata præſcribentur.

6. Quoniam autem, ſicut ardua, ita etiam laborioſa eſſe hæc eius munia perhibentur, idcirco, vt facilius tam graue onus æquis viribus portet, omnino ei ſacerdos alius, qui coadiutoris officio fungatur, adiungendus erit: & in nouitiatibus quidem ſeparatis, is idem coadiutor vicarij munus obibit, ab ipſo magiſtro deputandus, ſicut & cœteri domorum vicarij. In nouitiatibus verò coniunctis ab ipſomet conſtituetur, non tamen ille, in quem Præpoſitus non conſentiat. Talis autem conſtitui debet, qui moribus & eruditione ſit conſpicuus, in lectione ſpiritualium librorum ſit verſatus, in agendo dexteritate polleat, in functionibus obeundis robore præſtet: vt dignè valeat hoc miniſterio fungi. Præcipuè verò talis ſit, qui omnimoda dependentia magiſtri poſſit inhærere præſcripto. Nec alia prorſus inerit ei poteſtas, quàm, quæ fuerit ipſi ab eodem magiſtro collata, à quo ad libitum limitari, & ampliari poterit, prout magis ad Dei gloriam ſalubriter expedire dignoſcetur. Sed verò coa-

Nota quod huiuſmodi Vicarius ſiue coadiutor debet aſſumi per electionem iuxta decr. Clementis VIII. innouatum per S. Congr. cum derogatoria cõſtitutionis &c.

coadiutorem iſtum à ſuo munere omnino amouere in nouitiatibus quidem coniunctis, ipſius erit magiſtri, ita tamen, vt Præpoſitus non diſſentiat. In nouitiatibus vero ſeparatis, plenam ipſe ad nutum amouendi poteſtatem habebit. Sed vlterius, præter hunc, qui præcipuus coadiutor erit, alius etiam in nouitiatibus coniunctis, ſiue clericus, ſiue laicus, velut miniſter in temporalibus ab ipſo magiſtro conſtitui debet. In ſeparatis verò officiales omnes non deerunt, qui reliquis domibus aſſignantur, prout magis infra ſuo loco dicetur.

d. 19. R. n. 2.

7. Iam verò magiſtri durationem in eius officio, ac deſitionem præſcribentes decernimus, vt duratio quidem eo ſpatio concludatur, quod ab vno ad aliud vſque prouinciale capitulum excurret: & vna vice electus, atque idoneus repertus, confirmari, ſine termino, poſſit. Imo conſentaneum erit, vt, ſi non aliter vrgens ratio poſtulabit, quem Patres electores aptum repererint, ſemper confirment. Et cum ſatis compertum ſit, quantum ponderis hæc functio, experimento firmata, ad religioſæ ſanctitatis diſciplinam alendam habeat; enitendum pro viribus erit, vt peculiari ſtudio ad perpetuos nouitiorum magiſtros creandos, omni tempore intendatur. Cæterum ſi morte præuentus ante capituli celebrationem magiſter obierit, vel alia ratione defecerit; tunc alter à Prouinciali, & eius Aſſiſtentibus, per ſecreta ſuffragia, ad ſequens vſque prouinciale capitulum, in quo & confirmari poterit, duraturus eligatur. Sed verò varijs etiam modis, præter eum, qui eſt per mortem, deſinere poteſt magiſter; de quibus omnibus, cum ij communes ſint ad alios patres regimini deſtinatos, ſimul infra in quarta parte agetur.

p. 4. c. 15. n. 7.

CAPVT XI.

De impedimentis primæ educationi obſtantibus remouendis.

1. NOuitiorum educationi ſummopere conſulemus, ſi quæ ei repugnant, obſtantia mala tollamus: inter quæ primo loco ſe offert frequens magiſtri à nouitiatu abſentia: cui malo vt occurramus, decernimus, vt nullo modo occupationes aliæ extra nouitiatam obeundæ neque magiſtro, neque eius co-

adiu-

adiutori tradantur; ſed liberè ſacra illa occupatione deſtinari ſinantur, qua Deo conſecratas animas ad perfectionis culmen eueherc conantur. Sed & ipſi maximè caueant, ne facilè, niſi cum vrget neceſſitas, è nouitiatu egredi aſſueſcant.

2. Secundò obſtabit ipſorummet nouitiorum è nouitiatu egreſſus, niſi recto ordine fiat. Et ideo volumus, vt ſemper, cum exeundum eis erit ad habitationem profeſſorum, vbi ſcilicet coniunctus nouitiatus habebitur, de magiſtri licentia, & comitati egrediantur. Sed extra domum exeundi vtriuſque licentia, magiſtri ſcilicet, & Superioris accedere debet: adeo vt neque magiſter, ſine Superioris placito; neque Superior ſine magiſtri conſenſu, eam nouitio tribuere poſſint; terni verò, quoad eius fieri poteſt, aſſocientur; id quod etiam pari modo ſeruetur, cum ruri, vel alibi, recreationis ergo permanebunt. Porro qui laici in nouitiatibus coniunctis commorantur, domo cum alijs profeſſis extra ea loca degentibus, niſi neceſſitas vrgeat, nequaquam egrediantur; neque in officijs occupentur, quæ obiri nequeant, quin à nouitiatu diu abeſſe cogantur.

3. Tertiò extraneæ à ſpiritu occupationes maximè poſſunt obſtare, quæ idcirco vt præcidantur cauendum, ne quę nouitius negotia in ſæculo peragenda reliquerit, ea ipſe expedire permittatur; omnino enim, quoad eius fieri poteſt, alijs tractanda tribuentur. Sed & in parentum, vel aliorum quorumlibet ſeſe negotijs immiſcere nullo eis pacto licebit: quamuis prudentiæ regula hæc metienda erunt. Proinde vero ſtudiorum occupatio, etiam literarum humaniorum ſub præceptore, præter eam, quæ ſpiritualis, ſeu myſtica eſt, quoad vſque nouitiatus tempus perdurat, nouitijs prohibita eſſe intelligatur: qui enim, *quaſi modo geniti infantes*, cęleſtis ſapientiæ lacte potantur, æquum non eſt, vt à Chriſti vberibus auulſi, ſcholaſticæ ſapientiæ mammis applicentur; & eapropter conſentaneum etiam eſſet, vt neque libri, qui non ad ſpiritum confouendum ordinantur, eis permitterentur.

Adhæc, ſi quis nouitius ſcientias, vel facultates probè calleat, eas prælegere, aliosque docere nullatenus poterit; neque vllo modo à quoquam ei licentia concedatur: ſic enim facilius ſupereminentem charitatis ſcientiam, vt verus Chriſti diſcipulus, in humilitatis deiectione apprehendere poteſt. Sed denique cum ſacerdotibus nouitijs occupatio etiam illa ſecularium confeſſiones audiendi nequaquam pro eorum ſtatu ſit,

congrua, nullo eis modo id munus obire licebit, iuxta ea quę in prima parte cap.28. pręſcripſimus.

4. Iam verò vlterius quarto loco obſtans malum eſt nouitiorum communicatio cum externis, quæ omnino eis interdicta erit: & ideo literas à quibuſcumque datas accipere, ſicut & eas ſcribere, aut cum ſecularibus etiam parentibus colloqui, vel eos domi inuiſere, ſine magiſtri, & Superioris quoque, vbi coniunctus erit nouitiatus, licentia non poterunt, vt ſupra etiam decreuimus. Raro tamen hæc licentia, & penſatè concedenda erit.

5. Imo cum ipſis religioſis extra nouitiatum degentibus communicatio, vt quintum obſtans impedimentum, vitanda merito erit: & eapropter qui nouitij in ſeparatis nouitiatibus commorantur, ad alias noſtras domos, ſine vrgenti neceſſitate mittendi non erunt; & cum forte aliquem illuc mitti continget, is omnino veſpere ad nouitiatum reuertatur. E contra vero, nemini ex profeſſis, quicumque ille ſit, ad nouitiorũ adire locum ſiue ſeparatum, ſiue coniunctum, ſine Superioris, & magiſtri facultate, licebit: quæ tamen raro, & non niſi graues ob cauſas, concedetur.

Similiter vbi coniunctus nouitiatus erit, inſcio magiſtro, Superior illuc ſiue profeſſum, ſiue externum alium nullatenus mittat; & è contra magiſter, inſcio Superiore, neminem ſiue profeſſum, ſiue ſecularem illuc introducere poſſit. Cæterum ipſe Superior, etſi ingredi, quando ei videbitur, in nouitiatus locum poſſit; conſentaneum tamen erit, vt comitem ſecum adhibeat. Vlterius autem, vt, quoad eius fieri poteſt, in eadem domo coniuncti nouitiatus communicatio cum profeſſis vitetur, ſtatuimus, vt domeſtica miniſteria, quæ in profeſſorum habitatione obeunda erunt, nouitijs nullo modò tradantur; niſi fuerit miſſarum miniſterium; altarium ornatus; & quæ in choro peragere oportebit; ad menſam item legere, eique inſeruire. Nullo item pacto eis cum profeſſis colloqui, vel cum eiſdem conuerſari, etiam recreationis tempore, ſiue inſuper extra nouitiatum in profeſſorum habitatione deambulare, aut in aliquo eorum loco detineri licebit: & vel in ipſo choro, aut ſacrario, quando aliquid eis obeundum ibi non erit, nequaquam morentur. Et denique, ne qua detur communicationis occaſio, omnino in coniunctis nouitiatibus ea omnia pro nouitijs adſeruentur, quæ ad veſtitum, & infirmorum curam, & ad libros ſpirituales

atti-

attinent, diſtincta prorſus ab ijs, quæ in profeſſorum loco habentur.

Poſtremò ad benedictionem veſpere, antequam cubitum eatur, à Præpoſito petendam, non omnes nouitij ſimul conueniant: ſed ſatis erit, ſi vnus à magiſtro deputatus eam pro omnibus petat.

CAPVT XII.

De actibus; & exercitijs ad primam nouitiorum educationem aſſumendis.

1. LIbera & expedita nouitiorum educatio, remotis impedimentis, efficitur; completè autem niſi per actus & exercitia non perficitur; quæ ſane velut vberrima Dei paſcua, animam cæleſti gratia ſic replent, vt ea merito ſibi plaudere poſſit; *In loco paſcuæ ibi me collocauit.*

2. Inter ea vero ſacramentorum vſum primo ponimus, ac iniungimus, vt nouitij omnes bis in hebdomada confiteantur, & ſacra communione reficiantur. Ipſi autem magiſtro ſoli con- d. 26. &
feſſiones nouitiorum audiendi cura committatur; liceat tamen 27. R.
Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium, ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno, eorumdem nouitiorum confeſſiones audire: volumus tamen, vt infra menſem à die ingreſſus generali peccatorum confeſſione quiſque nouitius omnino ſe expiare nitatur.

3. Et hoc ipſo tempore, vlteriùs procedendo, ad ſpiritualia exercitia, quæ hoc vendicant ſibi nomen, peragenda deputetur: quæ etiam æquum erit, vt paulo ante profeſſionis tempus ei reſumenda deputentur; in ijs enim & deuotionis feruor concipitur, & vi maxima perfectionis curſus arripitur.

4. Conſequenter adhæc orationis ſtudio diligenter nouitij imbuantur; in quo, velut in præcipuo noſtræ Religionis ſtabili fundamento, conſolidandi meritò erunt; & eapropter nouitiorum magiſter perſuaſum habeat, nihil ſe omnino egiſſe, ſi nouitios non tota virtute orationi addictos Religioni offerat, vt profeſſionem emittant.

5. Proinde vero mortificationum vſus quarto loco arripitur, ſine quo incaſſum religioſę vitæ ſanctitaş, quæ hac morte

ſubſiſtit, enutritur; & ideo ſic ei nouitij inhærere conentur, vt ſchola mortificationis, vel ipſo primo aſpectu nouitiatus appareat. Ac propterea carnem libenter edomare; ſenſuſque frenare; voluntatis propriæ caput, obedientiæ gladio, amputare; labentium rerum affectiones paupertate recidere; appetitum gloriæ humilitate deijcere ſemper ediſcant; ſecretas tamen pœnitentias, ſine magiſtri licentia, nemo peragere poſſit. Adhæc inter præcipuos mortificationum actus, culparum capitulum in ipſo nouitiatus oratorio celebrandum inſtituere oportebit; ad quod conuenientes omnes, qui ibi commorantur, habita primum à magiſtro exhortatione, errata, quæ circa obſeruantiam quiſque commiſit, ſingillatim flexis genibus, humiliter, ac deuotè eidem magiſtro palam fateantur; atque ab eo ſe corrigi ſinentes, inflictas pœnitentias libenter, ac promptè ſuſcipiant. In refectorio etiam, habita priùs à magiſtro licentia, de commiſſis inobſeruantijs ſe publicè accuſare, vel etiam mortificationes alias expoſcere continuo aſſueſcant. Cæterum in nouitiatibus coniunctis publicas pœnitentias in ipſo refectorio peragendas Superior imponat.

6. Iam verò ſpiritualis doctrinæ comparationem inter præcipuos actus quinto loco deputamus; atque primo fidei rudimentis quiſque nouitius ſedulò addiſcendis incumbat; frequenti etiam ſpiritualium librorum lectioni ſinguli adhæreant; eamque, vt orationis altricem, ſæpe repetant; magiſtri inſuper exhortationes, ac variæ de rebus ad virtutum praxim ſpectantibus inſtructiones ſæpiſſime habeantur. Priuatis etiam colloquijs ſingulos nouitios magiſter erudire non negligat; & eadem demum ratione probationis tempus excurrat, vt ſpirituali doctrina, qui illud traducunt, imbuti, conceptum ſpiritum, quoad vixerint, vbique ſemper redoleant; præcipuè tamen de regula, quam profeſſuri ſunt, de votis eſſentialibus, ac de ſtatu regulari diligenter inſtruantur.

7. Sed & ſeptimo loco cogitationum apertio, & tentationum manifeſtatio magiſtro priuatim efficienda, vtilis non ſolum, ſed & neceſſaria erit: vnde antiquam ſanctorum inſtitutionem, quam Caſſianus fusè proſequitur, amplectentes, volumus, vt inſtruantur nouitij nullas penitus cogitationes prurientes in corde pernicioſa confuſione celare: ſed confeſtim, vt exortæ fuerint, eas ſuo patefacere magiſtro; nec ſuper earum iudicio quidquam ſuæ diſcretionis committere, ſed illud credere

malum

malum eſſe, vel bonum, quod diſcuſſerit, ac pronunciauerit magiſtri examen.

8. Sed vlterius ſpiritus probatio ſexto loco ad nouitiorum directionem adiungenda erit; & eapropter ad humilitatis exercitium, humilibus eos miniſterijs deſtinare; ad proprij iudicij, & propriæ voluntatis abnegationem, perfectæ obedientiæ, & ſubiectionis actibus comprobare; ad patientiæ examen, eos, ſimulata interdum ira, verbis aſperioribus redarguere; ad paupertatis experimenta, vetuſtis veſtibus induere; mutationes cellarum indicere, & id genus alia, quæ religioſæ vitæ ſtatus expoſcit, magiſtrũ oportet circa nouellos Dei milites explorando exercere; prudentiæ tamen regulis ſe attemperare meminerit.

9. Præterea vero inter alia nouitiatus exercitia, ea ſeptimo loco deſtinamus, quæ ad ritus, & cæremonias ſacras, atque ad altarium ornatus ſpectare videntur; in quibus nouitij, pia animi ſollicitudine, ſe diligenter aptare conentur; iſque ſpiritus eorum mentibus inſeratur, qui ſcilicet inſtituto noſtro valde congruit, eccleſiarum cultui toto niſu incumbere.

10. Poſtremo quamplurima alia hoc loco de actibus, & exercitijs, quæ nouitiorum poſtulat educatio, contexenda eſſent; ſed ea minutatim libellus de inſtructione nouitiorum continebit.

CAPVT XIII.

De ſecunda perſonarum educatione in ſpiritu, quæ ad profeſſos attinet.

1. Religioſæ ſanctitatis opus, quod, Domino adiuuante probationis tempore arreptum, & inchoatum fuit, nouis omnino conatibus, poſt emiſſam profeſſionem, promouendum ſerio erit: nec enim ardenter incepiſſe ſufficit, ſi perſeueranter ad vlteriora non protenditur animus; & profectò illius ſententiæ meminiſſe iuuabit, quod *Si eget rectore nouitius, eget nouus directore profeſſus*. Ergo poſt primam nouitiorum educationem, ſecunda conſequetur, quæ iam profeſſos attinget, eiſque velut ſecundus nouitiatus erit.

2. Et ſanè de perſonis ad illum deſtinandis decernimus, vt clerici omnes, qui nondum iam ad ſacerdotalem gradum peruenerint, ſecundum hunc nouitiatum, ſine exceptione, peragere teneantur; qui verò ſacerdotes fuerint Religionem ingreſſi, adhuc, profeſſione emiſſa, ſecundo nouitiatui cum alijs peragendo deſtinentur: dummodo Pater Prouincialis iuſtas ob cauſas non aliter ſtatuere vellet.

3. Proinde tempus, quo hęc ſecunda incipiet, & quo abſolui debebit educatio, ſic omnino diſponatur, vt ſtatim à
d.28.R. n.2. primo die profeſſionis emiſſæ initium ſumat, & biennio concludatur; quod ſane biennij tempus adhuc Prouincialis arbitratu protrahi poterit, maximè cum profeſſus nimis iuuenilem præ ſe ferat ætatem: contrahi verò non poſſit, niſi forte pro ijs, qui grandioris ſint ætatis, & aliqua ratio Prouincialem, vt cum ijs diſpenſet, compelleręt. A quo vlterius, ſicut hæc diſpenſatio, ita etiam, abſoluto biennij tempore, à ſecundo nouitiatu egrediendi facultas expectetur: prius tamen à Superiore, & à præfecto relatione habita.

4. Porro locus ad educationem hanc idoneus nullo modo
d.28.R. n.1. in domibus receſſus, vel in ea domo, vbi primus nouitiatus peragitur, conſtituendus erit: ſed eum primò in domibus exercitiorum deſignamus, vbi ſimplices clerici, qui clericalia ſubeant onera, deeſſe non debent; cumque ex inſtituto, antequam ſcientijs applicentur, biennium, vel ſaltem annum à die profeſſionis emiſſæ, rhetoricæ, & linguarum varietati eos inſumere ſit neceſſe; id quidem in ipſis exercitiorum domibus, quo tempore ſecundum iſtum nouitiatum conficient, ſub præceptore ex noſtris, priuatim præſtabunt; ſic enim fiet, vt neceſſitati domorum prouide conſulatur, & ſtudia nullo modo intermittantur. Statim ergo ac profeſſionem clerici emiſerint, è primo nouitiatu à Prouinciali educantur, & domibus exercitiorum ad ſecundum peragendum deſtinentur, ea diſtributione, vt ſingulis hiſce domibus clerici non deſint: biennio vero, vel anno ibi elapſo, ad collegia, vt ſcientiarum curſus arripiant, tranſmittantur, eo modo, & ordine, qui iam eſt ſupra, cum de ſtudijs agebamus, præſcriptus. Cæterum ſi quis clericus linguarum facultates, & rhetoricam bene calleat, & vel ætatis, vel alia ratio ſuadeat, eum è primo nouitiatu eductum ad collegia immediatè transferri, nil obſtat, quo minus id fieri non poſſit. Sed verò in collegijs ipſis ſecundus nouitiatus conſtituen-

tuendus etiam erit tum pro ijs, quos ad ea immediatè tranſferri continget, tum etiam pro alijs, qui licet in domo exercitiorum ſecundum nouitiatum peregerint, nihilominus tamen vel ibi biennium non expleuerunt, vel ſaltem in nimis iuuenili ætate conſtituti, neceſſe eſt, vt eis biennij tempus prorogetur. d. ſupra cit. n. 2.

5. Iam verò locus hic ſecundi nouitiatus, ita vbilibet diſponatur, vt omnino ab ea, quæ profeſſorum eſt, habitatione diſtinctus, & ſegregatus exiſtat. Sed & conſtructa inſuper ibi erunt oratorium, & alia loca, ad quæ poſſint, cum opus erit, qui ibi aluntur, conuenire; peculiari tamen ianua occludatur, quæ claue obſeretur, & ea ſolummodo penes ſuperiorem, ac præfectum, & ianitorem erit: nec illuc, abſque licentia tum Præpoſiti, tum præfecti, quæ rarò, & non niſi iuſtas ob cauſas concedetur, alicui, qui non ibi viuat, ingredi licebit.

6. Adhæc quod attinet ad curam, ſeu directionem huius ſecundi nouitiatus, ea quidem ipſi locali Superiori principaliter incumbet: ſed tamen volumus, vt per alium ſacerdotem ab ipſomet Superiore, cum approbatione Prouincialis, deputandum, exerceatur; iſque Præfectus ſecundi nouitiatus vocetur. Qui proinde talis ſit, vt vitæ probitate integer, operum exemplo probatus, ſcientia & doctrina imbutus, charitate, & manſuetudine refertus, in omnibus ſe dignum miniſtrum valeat exhibere: adeo vt profeſſi educandi nihil vnquam ei detrahere poſſint. Eius porro munus non aliud erit, quam profeſſos, eo loci degentes, poteſtate, quam à Superiore acceperit, in ſpiritu, & virtute dirigere; ſub regulari diſciplina continere; ad regularum obſeruantiam promouere; & denique eos in perfectionis itinere ſolidare. Et eapropter tum priuatis colloquijs, tum etiam bis in menſe eos omnes ſimul vna congregatos verbo Dei paſcat, & alat; & cum opus erit, mortificationibus, & pœnitentijs, non tamen publicis in refectorio, hæc enim ad Superiorem ſolummodò ſpectabunt, eos coërcendo, corripiat. d. 28. R. n. 4.

7. Proinde, vt in hoc munere adiuuetur, ſi numeroſa profeſſorum multitudo exiſtat, adiungatur ei alius ſacerdos, qui valeat coadiutoris miniſterio fungi: à Superiore deputetur, à quo & poterit amoueri. Cœterùm præfectum ipſum ſuo munere abdicandi facultatem quidem habebit Superior, non tamen ſine Prouincialis conſenſu. d. 28. R. n. 4.

Sed

Sed iam vlterius exercitia, quæ ad educationē hanc neceſſaria erūt; & omnia ſingillatim in libro de inſtructione nouitiorū conſcribentur; ſic ſemper ordinatè diſponantur, vt ſtudijs impedimenta afferre non poſſint. Verum quod in ſpecie attinet ad exercitium confeſſionis, volumus, vt ad omnium, qui in ſecundo nouitiatu verſantur, confeſſiones audiendas, duo conſtituantur; vnus, qui ſit ipſe præfectus; alter, quem Superior deputauerit. Proinde vero vt regularum obſeruatio inter eos profeſſos promota vigeat, & inobſeruantię diluantur, culparum capitulum in eorum oratorio celebrandum; ſed non niſi ſemel in menſe, cui pręfectus pręſideat; inſtituetur: ibique humiliter, & deuotè ſinguli profeſſi ibi degentes vna ſimul congregati, quas culpas circa regulas patrarunt, palam fateantur, & correctiones, ac pœnitentias à præfecto iniunctas, libenti animo complectantur. Denique peculiari ratione qui in domibus exercitiorum ſecundum nouitiatum conficiunt, inter alia exercitia, eccleſiæ miniſterium proſequantur, eique diligenter incumbant.

8. Cæterum, ne in aliquo hæc educatio retardetur, adnitendum, vt impedimenta omnia, quoad eius fieri poteſt, præcidantur; inter quæ allocutionem cum profeſſis extra eum locum degentibus numeramus: & ideo nemo ſit, qui ſine præfecti licentia cum illis colloquatur. Sed & volumus inſuper, vt nullibi, etiam recreationis tempore aliquo modo ſimul conuerſentur. Proinde etiam è domo egreſſus, niſi ordinatè fiat, ſimiliter poſſet obſtare: & propterea præſcribimus, vt non ſolum Superioris, ſed & præfecti quoque egrediendi facultas habeatur: &, quoad fieri poterit, terni aſſocientur. Alios verò extra ſecundum nouitiatum commorantes ſociare, non niſi rarò, & neceſſitate vrgente permittat Superior.

c. 28. R. n. 3.

9. Vltimo tamen hæc omnia, quæ de ſecundo nouitiatu pręſcripſimus, profeſſos clericos attingent, non autem laicos: eorum nihilominus, poſt profeſſionem emiſſam, præcipuam curam vicarius gerat, qui eos pia charitate in ſpiritualibus dirigat; & de temporalibus, cum opus erit, prouideat; atque ſimul paterna ſollicitudine, vt filios chariſſimos complectatur.

CA-

CAPVT XIV.

De perſonarum dimiſſione ; & primo de dimiſſione nouitiorum.

1. AReam ventilare, vt purgatior euadat, quandoque oportet; & ideo, qui inter nos non apti, & idonei videbuntur, Religionis puritati conſulendo, poterunt iure dimitti. Sed quoniam dimiſſio hæc nouitios comprehendit non ſolum, ſed etiam profeſſos attingit, vtriuſque ratio nobis ſtatuenda erit.

2. Et prima, quæ ad nouitios attinet, plena quidem libertate ſemper fieri poterit: verum dimittendi poteſtas in nouitiatibus coniunctis penes Præpoſitum, & magiſtrum erit; in ſeparatis verò penes magiſtrum ipſum, eiuſque vicarium; ſic tamen, vt ſi fuerit quis ad profeſſionem in capitulo acceptatus, nouis poſtea cauſis, antequam ipſam emittat, emergentibus, eum dimittendi poteſtatem idem capitulum habeat. Sed vero, ſi antequam in capitulo ad profeſſionem acceptatio fiat, quempiam dimittendi caſus eueniat, & Præpoſitus, ac magiſter in coniunctis; vel magiſter, & Vicarius in ſeparatis nouitiatibus inter ſe non conſenſerint; tunc res Prouinciali ſignificetur, & quod ipſe reſcripſerit, executioni mandetur. Iniungimus tamen omnibus, quibus hæc ineſt dimittendi facultas, vt non niſi iuſtas ob cauſas, quas modo præſcribemus, ea vtantur.

3. Et has quidem cauſas ad duo genera reuocamus: ac primum ſane genus earum ſit, quibus exiſtentibus, vel earum aliqua, debet nouitius omnino, & neceſſario dimitti; vt puta primo, ſi in eo impedimentum aliquod primi generis detegatur; ſecundo ſi ſaltem in eo impedimentum ſecundi generis patefiat, cum quo tamen Pater Generalis diſpenſare nolit; tertio ſi quis ad praua inclinatus, contra Dei honorem, & legem, vel contra regulas noſtras incorrigibilis, vitam emendare non curet; quarto ſi quis enorme, & graue aliquid, quod ſcandalum affert, & famæ detrimentum Religioni inurit, patrare (licet ſemel) non erubuerit; qualibet ergo harum exiſtente cauſa, dimittendus omnino nouitius erit.

4. Secundum verò cauſarum genus ſit earum, quibus exiſtentibus dimitti quidem nouitius iure poterit; non tamen, vt neceſſariam, dimiſſionem vrgent: ſed maturitate, & diſcuſſione opus habent. Huiuſmodi ſunt eæ omnes, quæ in impedimentis tertij generis continentur; quas ſanè, qui dimittendi poteſtatem habent, diſcernere, & iudicare debebunt, prout Dei honor, & Religionis bonum expoſcent. Maturè tamen, & prudenter omnia peragantur.

5. Proinde modus, & actus dimittendi ſic ſe habeant, vt exiſtentibus cauſis, primo orationibus præcipuis id negotium Domino commendetur; ſecundo, vt dimittendi facultatem habentes, matura conſideratione rem diſcutiant; tertio, vt cum Religioni expediens erit; dimiſſio ita executioni mandetur, vt eius, qui dimittitur fama, & honor, quoad eius fieri poterit, ac amor erga Religionem conſeruentur; quarto quæ ſecum in ingreſſu tulerit bona, omnia ei reddantur, ſaluo ſemper iure, ſacri Concilij Tridentini; quinto vt ſi quæ animi perturbatio in dimiſſi parentibus oriatur, quoad poſſibile erit, perſonarum habita ratione, ſedetur.

6. Denique intelligantur hæc omnia, quoties iuſtas ob cauſas dimittendus nouitius erit; nam ſi ipſe ſponte ſua, dimiſſo habitu, egredi velit, nil aliud tunc faciendum incumbit, quam, vt res Domino commendetur, & qua fieri poterit verborum efficacia, ab ea deliberatione nouitius reuocetur; quod ſi in propoſito durus perſiſtat, impediendus non erit, ſed in pace dimittatur.

CAPVT XV.

De profeſſorum dimiſſione.

1. ATtingit ſuo modo dimiſſio ſolemniter etiam profeſſos, cuiuſcumque ſtatus, ſiue laici ſint, ſiue clerici, ſiue inſuper ſacerdotes, quibuſdam ſcilicet exiſtentibus cauſis, quas ad tria capita reuocamus.

2. Et primum ſit, ſi in ſolemniter profeſſo impedimentum aliquod ex ijs, quæ in proteſtatione eidem habita, cum iam fuit ad probationis annum admiſſus, pateſiat: tunc enim expellere cum plena libertate licebit; res tamen prius à P. Prouinciali,

ciali, eiuſque Aſſiſtentibus diſcuſſa iudicetur, hac ratione, vt impedimento ritè probato, ante omnia declaratio fiat, profeſſionem illam inualidam omnino fuiſſe, vt pote contra noſtram voluntatē emiſſam. Et deinde, hac declaratione peracta, profeſſus ille dimittendus quidem erit, non tamen antequam dimiſſionis ſententia fuerit à Generali, eiuſque Aſſiſtentibus de iure approbata.

3. Secundum dimiſſionis caput erit, ſi quis profeſſus criminis cuiuſcumque, aut vitij, licet diuerſi generis, ſiue etiam deprauati habitus, à Superiore, & capitularibus in eorum conuentu ter fuerit capitulariter admonitus; ac pœnis, noſtris conſtitutionibus, præſcriptis non reſipuerit: tunc enim incorrigibilis declarandus erit, & in domo, in qua deliquit, vel in alia, Prouincialis arbitratu, in arcto tamen loco, vt in ergaſtulo, ſeu arcto cubiculo, ad pœnitentiam continuatò agendam, concludetur, ita vt cum alijs non viuat, nec aliquam habeat conſuetudinem, atque omnis ſuffragij iure perpetuo ſuſpenſus exiſtat. Quas tamen pœnas omnes Pater Generalis remittere poterit, excepta pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, cuius remiſſio ad ſolum generale capitulum ſpectabit; qui verò hac pœna mulctatus, per annum, nō reſipuerit, poterit extra Religionem, tamquam penitus incorrigibilis, expelli: ſed ita tamen, vt Prouincialis de voto ſuorum Aſſiſtentiū expulſionis ſententiam ferat, quæ proinde executioni mandari non poſſit, antequam fuerit à Generali, eiuſque Aſſiſtentibus de iure approbata.

d.39. R. n.1

d.39. R. n.4. videatur omnino.

4. Cæterùm, vt ordinatè in hac dimiſſione, ex hoc ſecundo capite, decernenda, procedatur, hos ſingillatim peragendos actus præſcribimus; primo, vt, antequam trina illa capitularis monitio fiat, aliæ paternæ correctiones præcedant, tum à Superiore, tum à confeſſario, tum etiam ab vtroque ſimul priuatim peragendæ tot vicibus, quot ipſe iudicauerit: ſecundo ſi adhuc emendationem non præferat, tres aliæ paternæ correctiones adiungendę etiam erunt, quarum duæ à Superiore cum Conſultoribus tamquam adhibitis teſtibus, priuatim fient; vltima verò in capitulo locali peragetur.

5. Si tamen, his non obſtantibus, durus ille perſiſtat, & tam pio æquitatis iure non excitetur, tunc deueniendum erit ad tres illas iuridicas, & capitulares monitiones, ita vt aliquod intercedat inter vnam, & aliam temporis interuallum. Non tamen ex præſcripto Patris Generalis, vel Prouincialis, etiam ſi Aſſiſten-

tium vota concurrant, aliqua ex his monitionibus fieri poſſit: ſed omnino volumus, vt locale capitulum eas omnes, & ſingulas peragendi facultatem habeat: hac tamen ratione, vt duæ capituli partes conſentiant; &, quam inſuper faciendam decreuerint, ea executioni mandari non poſſit, antequam decretum illud fuerit à Prouinciali, eiuſque Aſſiſtentibus confirmatum: id quod in ſingulis monitionibus obſeruandum neceſſario erit. Confirmatione verò à Prouinciali, & Aſſiſtentibus habita, vocetur religioſus, & in pleno capitulo in ſcriptis ei tradatur monitio, & ſtatim deinde in peculiari libro regiſtretur, & teſtibus ſubſcribatur.

d. 39. R. n. 2. & 4.

6. Sed, vbi prima monitio nil proderit, ſecunda addatur; & ſic deinceps tertia: quibus omnibus peractis, etiam pœnis, noſtris conſtitutionibus, præſcriptis animaduertatur in eum: & ſi his non reſipuerit, tunc vlterius à Prouinciali, eiuſque Aſſiſtentibus incorrigibilis declarandus erit; in ergaſtulo collocandus ad pœnitentiam continuatè agendam, vt dictum eſt ſupra.

Extat dec. Vrbani 8. an. 1624: vt in d. ſupra cit. n. 4.

Poſtremo autem, ſi per annum non reſipuerit, expulſionis ſententia à Prouinciali de voto Aſſiſtentium feratur: quę ſi deinde fuerit à Generali, eiuſque Aſſiſtentibus approbata, religioſus ille expelli poterit, & extra Religionem dimitti.

7. Iàm verò, pręter hęc duo dimiſſionis capita, hoc tertium aliud adiungendum eſſe decernimus; quod nimirum ea omnia complectatur, propter quæ expulſionem profeſſi à Religione priuilegia vel definiunt, vel licitam præſcribunt: ſed tamen quoad modum in hac expulſione procedendi, iuris ordo ſeruetur; nulla habita ratione ad procedendi modum, quem pro primo, & ſecundo dimiſſionis capite mox ſupra ſeruandum decreuimus.

CAPVT XVI.

De perſonarum gradibus, & ordine inter ſe.

1. INter ea, quæ præcipua ratione, ad perſonas in communi, earumque ſtatum ſpectare videntur, gradus, & ordo iure optimo numerantur.

2. Et gradus quidem in noſtra Religione huiuſmodi ſtatuentur; videlicet eſſe clericum, vel laicum; nouitium, vel profeſſum; ſimplicem clericum, vel ſacerdotem; ſacerdotem in primo

gradu,

gradu, vel in ſecundo: præter quos alij etiam erunt peculiares, qui ad gubernationem ſpectabunt; quidam ad gubernationem generalem, quidam ad prouincialem; quidam denique ad localem, de quibus ſingillatim in quarta parte agetur.

3. Iam verò perſonarum ordo præcipuè in loci præcedentia conſiſtet, qua cœtus religioſorum mira diſtinctione decorantur: proinde autem huiuſmodi præcedentia triplex erit, nimirum præcedentia dignitatis, præcedentia ſtatus, & præcedentia antiquitatis.

4. Præcedentia dignitatis prima ſtatuitur, & ſolummodo competet quibuſdam ad gubernationis gradus aſſumptis, videlicet Generali, Prouinciali, Præpoſito, Vicario; & quandoque etiam Aſſiſtentibus; hac ratione, vt primum locum vbique ſemper habeat Pater Generalis; ſecundum Prouincialis; tertium Præpoſiti; quartum Viſitatores, ſiue ordinarij, ſiue delegati; ſed dumtaxat viſitationis tempore; ab ipſo ſcilicet die publicationis literarum patentium, in illa domo, vbi viſitatio inchoatur, vſque dum per totam prouinciam ſit expleta; extra tempus viſitationis enim, ad ſuum antiquitatis locum redire debebunt; poſt Viſitatores, quintum locum habebunt domorum Vicarij; ita vt immediatè poſt Præpoſitum, viſitatione abſoluta, ſequantur; poſt Vicarios autem aliorum nemini dignitatis locus competere poſſit, præterquam Aſſiſtentibus, non quidem in propria reſidentiæ domo, vbi ſanè antiquitatis locum inter alios ſacerdotes habebunt; ſed dum in aliena manſerint, in qua, poſt Vicarium, cæteros quoſque præcedent: inter Aſſiſtentes autem, qui Generali aſſiſtunt, præcedāt ijs, qui Prouinciali. Denique hic dignitatis locus prædictis, quos deſignauimus, præterquam Aſſiſtentibus, vbicumque reperiantur, in qualibet domo ſemper competet.

d.1.c.g. 19.

d.3.R.n. 3.

5. Sed vlterius præcedentia ſtatus erit illa, quæ ſeruari debebit inter varios perſonarum ordines, hac ratione, vt, poſt Vicarium, primum locum habeant ſacerdotes profeſſi; ſecundum profeſſi diaconi; tertium profeſſi ſubdiaconi; quartum profeſſi clerici; quintum nouitij ſacerdotes; ſextum clerici nouitij; ſeptimum laici profeſſi; octauum denique laici nouitij.

6. Ne autem inter perſonas eiuſdem generis, & ſtatus confuſio poſſit oriri, antiquitatis ordo adiungetur, qui quidem inter Prouincialem, & Prouincialem; Præpoſitum, & Præpoſitum; Viſitatorem, & Viſitatorem; Vicarium, & Vicarium; & ſimiliter inter ſacerdotes, & ſacerdotes, ſiue ij capitulares ſint, ſiue

non

non; atque eodem modo inter alias cuiuſque ſtatus perſonas ſeruandus erit. Sumi verò hic ordo, ſeu antiquitas debebit, non quidem à die profeſſionis emiſsæ, ſed ſolummodo à die ingreſſus in Religionem. Quod ſi duo eodem die fuerint in eadem domo ingreſſi, ille præcedat, qui primus ingredi petijt; ſi ſimul petierint, ætatis ratio habeatur; ſi eodem die in diuerſis domibus admiſſi fuerint, antiquitas domus præcedentię antiquitatem attribuet]; vel ſi domus ſimul fundatæ ſint, & inter eas non poſſit temporis pręcedentia aſſignari; tunc is præcedet, qui in antiquiore prouincia eſt receptus.

d. 9. R.

7. Poſtremo adiungimus, quod, licet ij, qui maioribus ordinibus initiati ſunt, præcedant eos, qui minoribus; his tamen ad eumdem ordinis gradum euectis, non amplius ordinis, ſed antiquitatis, ſeu ingreſſus ratio habeatur. Et idem ſit dictum, cum nouitius antiquitate inferior, profeſſionem emittet, antequam antiquior nouitius ſit ad eam admiſſus; tunc enim ille primo profeſſus præcedet quidem nouitium antiquiorem, ſed ſolummodo, donec iſte antiquior nouitius profiteatur: quo iam profeſſo, ingreſſus ordo inter eos attendetur.

CAPVT XVII.

De perſonis in particulari; & primo de ſimplicibus clericis, qui nondum ſacerdotio funguntur.

1. PErſonarum ſtatu in vniuerſum deſcripto, ratio poſtulat, vt ad perſonas in particulari deſcendamus; & quidem inter eas primo loco ſimplices clerici occurrunt, quorum gradus, & munia præſcribemus.

2. Et gradus profectò non alios conſtituimus, præter illos, qui ſacramento ordinis continentur, ad quos hac tantum ratione promouendi ſuo tempore erunt: vt ſcilicet qui clericus nouitius exiſtit prima tantum tonſura initiari poſſit, vt eccleſiaſticis functionibus idoneus miniſter aptetur. Qui vero ſolemnia vota nuncupauerint, ad quatuor minores ordines promoueantur, dummodo Præpoſito, eiuſque Conſultoribus videatur. Maiores ordines conferantur nemini, niſi de Prouincialis licentia, quam

tamen

tamen ipſe neque facile, neque inconſulte, aut feſtinato concedat: omnino enim volumus, vt ad ſubdiaconatum ij ſolummodo admittantur, qui ad minimum tres annos; ad diaconatum, qui quatuor; ad ſacerdotium, qui quinque à profeſſione tranſegerint: quæ proinde temporum interualla protrahere quidem Prouinciali licebit, contrahere vero nequaquam, niſi grauis aliqua perſonę, locique ratio intercedat. Sed verò antequam pro licentia à locorum ordinarijs habenda quis ordinandus mittatur, domi prius à Superiore, & patribus ad id delectis diligenti examine comprobetur. d.22: c.g. 19. Supra p. 1: c: 28 n.4:

3. Munia porro, & onera clericorum, quæ eis peculiari ratione incumbunt, ſunt præcipuè altaris, & eccleſiæ miniſterium; ad menſam item legere; eique inſeruire, & huiuſmodi alia, quæ in noſtris legibus, ſuis quæque locis præſcribuntur, vt à clericis ipſis ſubeantur. A quibus proinde nullatenus clericorum aliquis, quamdiu ſacerdos non erit, eximi poſſit; niſi forte quis eorum ingenio pollens, ad ſuperiorem aliquam facultatem prælegendã deſtinetur. d.29: R: n:1: & 3:

CAPVT XVIII.

De perſonis, quę ſacerdotio funguntur.

1. SAcerdotũ gradus primo loco deſignantes ſtatuimus, vt alij ſint ſacerdotes in primo gradu, alij in ſecundo: inter quos hæc ſit differentia, vt, qui in primo gradu fuerint, omnia ſimplicium clericorum onera, vt puta ad menſam legere, eique inſeruire, & id genus alia, quæ præcedenti capite inſinuauimus, ſubire teneantur, eodem modo, ac ſi ſimplices clerici eſſent: & ſolum excipimus miniſterium miſſæ, à quo ſtatim ac ſacerdos quis erit, liber exiſtit. Quando hi etiam poſſint obligari ad clericales functiones. d. 36. R: n.2.

2. Qui vero ſacerdotes in ſecundo gradu fuerint, eos à prędictis clericorum oneribus immunes facimus: huiuſmodi autem erunt omnes, qui ius ſuffragij ſiue conſultiui, ſiue deciſiui conſequentur. Similiter qui actu quadrageſimales, vel annuales conciones habebit. Ille etiam qui ad aliquam prælegendam facultatem, vt præceptor, aſſumetur: & demum qui ſacerdos ſex à profeſſione tranſegerit annos: ij omnes, & ſinguli ſtatim, ipſo facto, abſque alia declaratione, ſacerdotes in ſecundo gradu habeantur. Vt in fine præcedentis capitis

Præter

Præter hos nemo in hoc gradu conſtitutus intelligatur, niſi qui fuerit talis à Patre Prouinciali declaratus. Sed & ipſe Prouincialis certior fiat à localibus Præpoſitis de ſacerdotibus domorum, qui fuerint ibi in primo gradu; vt, quos pro ſua authoritate velit conſtituere in ſecundo gradu, reſcribat. Illud etiam addimus, vt, qui ſemel in ſecundo gradu conſtitutus fuerit, ſemper, & vbique talis habeatur.

d.22:c:g: 19.

3. Iam verò, præter iſtos ſacerdotum gradus, alij etiam conſtituentur, vt quidam ſint capitulares, qui vocem in capitulo habeant, & ad gradus gubernationis aſſumantur; quidam verò non capitulares, qui hoc iure careant. Proinde verò multa hic eſſent de capitularibus attexenda, niſi materiam hanc aptior ad ſe locus reuocaret, vbi nimirum de gubernatione agemus.

d.16: R: n:2.& d. 17:n:2: p:4.c.8: n:13. & 14.

4. Atque hinc ad ſacerdotum munia, & onera tranſeuntes, inter ea primo ſe offert diuini officicij recitatio; quæ quidem, ſiue fiat in choro, ſiue extra chorum, ſemper mēte vigili, & corde compunſto, deuotione valida, & conſcientia pura præſtanda merito erit. Et pari deuotione ſacrificium miſſæ, quod aliud eſt ſacerdotale munus, quotidie à ſingulis celebretur; nec, ſine licentia, & ſine iuſta cauſa, abſtinere quis poſſit: verum ſacerdotes nouitij, ſine licentia, & benedictione magiſtri, ſacrum non faciant.

d.57:R: n.1:

5. In celebrando autem, quo magis ſanctitas, & diuinitas huius ſacrificij ſupereminet, eo diligentius intendere debent, vt maxima reuerentia, & ſanctitate illud perficiant. Præcipuè verò velocitatem nimiam deuitent: quæ diſſipatæ, & indeuotæ mentis, non ſine ſcandalo, inditia præfert. Et eapropter ſtatuimus, vt ad ſemihoræ ſpatium huius miniſterij celebratio excurrat. Proinde ritus, & cæremonias vniformi obſeruantia teneant: &, qui fuerit primo ad ſacerdotium promotus, celebrare non permittatur, ſi ritus omnes probe inſtructus non calleat. Denique ad ſacrum vocati, vt ſacrum faciant, ſtatim accurrant; &, quæ pro omnibus communiter fuerint parata ſacerdotalia indumenta, ea induant; nec alicui priuata, vel propria vllo modo habere licebit.

6. Poſtremo inter munia ſacerdotum, ſacramentorum adminiſtratio ſequitur, quam tamen alibi præſcriptam hic referre non eſt opus. Et eo modo, quæ de ſtudio, & collatione caſuum ſunt præſcripta, ijs ſacerdotes peculiari ratione intendant.

CA-

CAPVT VLTIMVM.

De perſonis ad laicorum ſtatum aſſumptis.

1. QVod attinet primo ad laicorum gradus, profectò eorum ſtatui, præter eos, qui ſunt eſſe nouitium, & profeſſum, alij gradus non aptantur. Et ideo ſimplici quadam, & humili via incedentes, virtutum aſcenſiones, libero corde diſponere ſibi contendant.

2. Munia porro, & onera hæc ipſis incumbunt; imprimis, cum nullo modo ad chorum deſtinentur, nihilominus tamen pro matutino, orationem dominicam, & ſalutationem angelicam quindecies; pro quaque hora canonica, ter dicant; miſſę inſeruiant quotidie, vel ei interſint. Fidei rudimenta probe addiſcant: & ea propter ſingulis, vel alternis hebdómadis explicanda eis erunt. Et vt in ſpiritu proficere poſſint, vicarius prudenter, & cum charitate, eos in via Dei inſtruendo, dirigat.

3. Adhæc intelligant oportet, ſe ad opera Marthæ eſſe vocatos; ac proinde domeſtica in temporalibus miniſteria ex peculiari inſtitutione ipſis incumbere. Sed vero labores, & officia ea congruenti diſtributione tradantur, vt tamen communi orationi valeant, cum cæteris, intereſſe. In quotidiano recreationis loco cum alijs maneant, nec ab eo ſeorſim ſecedant. Reuerentiam ſacerdotibus præcipuam exhibeant, ſimplicibus clericis deferant. Inter ſe vnitatem, pacem, & modeſtiam conſeruent. Religionis bono, prout eorum exigit gradus, opere intendant: & nihil omittant, quod regulares, ac minores viros ex inſtituti ratione condeceat.

De numero laicorum pro aliquibus noſtris domibus d. 7. c. 5. 18.

4. Eos tamen optamus ſæpius meminiſſe, non minus in ſua humili vocatione Domino gratos eſſe, quam ſint ij, qui ad clericalem ſtatum vocantur; quandoquidem idem Dominus eſt, qui pater omnium omnes complectitur, eiſque non ſecundum ſtatus rationem, ſed ſecundum cuiuſque merita, ac labores prę mia elargitur: quinimo maiora ſemper expectent, ſi maiore charitate referti, opera, ac miniſteria in humili ſtatu exerceant. Quapropter ſua ſorte contēti propriæ ſaluti ſic ſerio intendant, vt etiam ad proximorum iuuamen, tum exēplo, tum opere noſtros

operarios adiuuando , libenter collaborent : ſic enim bonorum omnium , quæ, in vniuerſa Religione , noſtri clerici , ad animarum ſalutem , operantur , conſortes ſine dubio fient Proinde vero Superiores cohortamur , vt fratres laicos peculiari quadam charitatis beneuolentia complectantur ; eorumque ſaluti accuratius , vt par eſt , incumbentes , eorumdem commodis , & quieti , omni conſilio , induſtria , atque labore proſpiciant .

CONSTITVTIONVM CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM

PARS TERTIA.

De domibus noſtræ Religionis.

SIcut perſonis, quæ vno ſpiritu congregatæ vnum ſane corpus efficiunt, Religio conſtat; ita inſuper domibus, ac locis coagmentata ſubſiſtit. De quibus merito, vt conſtitutionibus nil deſit, hanc tertiam partem inſtituendam decreuimus: atque primo de domibus in communi; de ſingulis deinde in ſpecie agemus.

CAPVT PRIMVM.

De varietate, & appellatione domorum, quibus noſtra Religio conſtat.

1. INſtituti noſtri completa ratio poſcit, vt varia, vbique gentium, domorum loca conſtrui curemus; & omnia vno

ſpiritu colligata ſub vno generali capite talia ſint, vt in tam varijs, velut in vna domo, vnius more, cohabitemus omnes.

2. Proinde vero vt rite omnia diſponantur, & noſtras functiones recto ordine exequi valeamus, omnino oportet, vt quatuor domorum genera in ſingulis prouincijs conſtituantur.

3. Et primum quidem ſit earum, quæ dumtaxat ad educandos nouitios, antequam profeſſionem emittant, erigentur. Loca ſane, quæ omnino á cæteris domibus ſeiunctum conſtructa, & ſeparata exiſtent: vt vel ſic liberiori curſu nouitiorum educatio arripi poſſit; quæ proinde ſeparati nouitiatus nomen ſortientur, vel etiam poterunt nouitiorum domus appellari.

4. Secundum genus erit earum, quas ad ſcholaſtica ſtudia, peculiari ratione, deſtinare oportet, & proprio nomine, collegia, ſeu ſtudiorum domus vocabuntur, ab alijs quibuſque domibus habitatione omnino diſtincta.

5. Sed & tertium ſit earum, quæ ad omnia ſimul contemplationis, & actionis munia ex inſtituto præſtanda conſtruentur; eruntque in noſtra Religione præcipuæ, & primarias vices inter omnes alias optimo ſibi iure vendicabunt, vt pote in quibus inſtituti noſtri ratio, exercitatione completa, perficienda incumbit; & ea propter ex proprio nomine exercitiorum domus placuit eas appellare: eo quod Religionis exercitia ibi complete excluentur.

6. Denique quartum genus erit earum, quas dumtaxat contemplatinæ parti deputandas, ac proprio nomine domus receſſus appellandas decernimus; in quibus proinde Mariæ optimam partem eligere habent, qui ibi ſimul viuent.

CAPVT II.

De receptione, ac dimiſſione domorum.

1. POteſtas in primis recipiendi domus, cum eas recipiendi facultas erit, penes generale capitulum ſubſidebit; & infra ſpatium illud, quod ab vno ad aliud intercedet, eamdem eodem modo Præpoſitus Generalis habebit, voto tamen ſuorum Aſſiſtentium; ac etiam Prouincialis, & Aſſiſtentium illius Prouinciæ, in qua domicilium erigendum erit, ſcriptis vel pronunciatis ſuffragijs, adhibito. Quod ſi nullum in ea regione noſtrum

De ſecretis ſuffragijs d.14. R.n.2.

do-

domicilium extet;ac proinde neque Prouincialis; tunc Pater Generalis, cum ſuis Aſſiſtentibus, ac etiam Procuratore, & Secretario Generalibus, necnon Prouinciali romanæ prouinciæ, & alio antiquiori capitulari deciſiui ſuffragij in eadem Generalis domo degente, rem omnem ſtatuat. Cæterum præter capitulum generale, & Præpoſitum Generalem, prout modo præſcripſimus, nemo prorſus, ſiue Prouincialis, ſiue prouinciale capitulum domum aliquam quouis nomine appellatam, fundandi poteſtatem habebit.

2. Porro ſitus, ſiue locus in quo domicilium aliquod nobis erigendum erit, talis eligatur, qui ſalubri aëre ſit dotatus; talis inſuper,in quo regularis obſeruantia iacturam facere nullatenus poſſit, & in quo etiam tot numero religioſi viuere queant, quot ad rectam domus conſtitutionem, vt minimum neceſſarij erunt: qui quidem numerus infrà cap. 4. præſcribitur.

3. Sed proinde in modo, & ratione fundandi, ſi conditiones, & pacta quædam nobis obſeruanda, vel onera ſubeunda proponantur; ea quidem acceptare nequaquam licebit, ſi noſtro inſtituto coaptari non poſſent.

4. Cœterum diſſolutio, ſeu dimiſſio domus erectæ, ſiue fundatæ, ea tantum ratione fieri aliquando poterit, quatenus domus illa permaximum detrimentum, quod nequeat alia via reparari, Religioni afferat: & hoc plane caſu capitulum generale dumtaxat hanc diſſoluendi facultatem habebit.

CAPVT III.

De ædificijs, & diſpoſitione domorum.

1. NVlla domus, nec etiam eius pars, ſine conſenſu capituli localis, & ſine Prouincialis licentia,poſſit de nouo ædificari: & in ea quidem conſtruenda modulus efformetur,ad cuius deinde normam tota ædificij ratio dirigatur. Præficiatur item vnus ex noſtris, qui operis miniſterio diligenter intendat; in ædibus autem, quæ habitationi deſeruient, nihil admittatur, quod nimio artificio elaboratum exiſtat, nihil etiam, quod curioſitatem confoueat, quodque minorum humillimo ſtatui aduerſetur.

2. Sed & domus diſpoſitio ſic ſe habeat; inprimis eccleſia ibi

ibi cum ſacrario; ac etiam, vbi fieri poteſt, cum cœmeterio conſtruatur; quæ ædibus ad habitationem deſtinatis ſit coniuncta. Deinde ædes ipſæ ea ratione ſint diſpoſitæ vt in eis ſingula cubicula pro ſingulis religioſis habeantur.

Sit etiam oratorij locus, in quo ſpirituales aliquæ functiones peragantur.

Similiter in ſalubriori parte domus, locus alius pro valetudinario; & in remotiori, pro externis hoſpitibus alter conſtruatur. Ad communem menſam, ad communem bibliothecam, communem recreationem; & prope ianuam domus, ad collocutionem cum externis habendam, atque ad officinas ſingulas, ſingula loca aptentur. Et quamuis arcta ſit habitatio, communes ſaltem officinæ omnino non deſint.

3. Iam vero totius domus, & cubiculorum parietes nudi omnino ſint, & nihil ibi vel materia, vel artificio pretioſum exiſtat. In cubiculis autem ſupellex à pauperum ſtatu non abhorrens habeatur. Sit ibi lectus; vnum, aut duo ſedilia; plutei ad libros cuſtodiendos, menſa, & quæ religioſæ paupertati conſentanea, ac neceſſaria erunt.

4. Denique cubicula ſingulis à Superiore ad libitum deſtinentur, & ad libitum ab vno ad aliud transferre quemlibet poſſit: peculiaribus ſingulisque clauibus obſerentur: ita tamen, vt, ſicut ſupra capite de paupertate præſcripſimus, vna claue communi, quæ apud Superiorem erit, aperiri facilè poſſint.

CAPVT IV.

De perſonis ad cohabitationem domorum deſtinandis.

1. PLura ſunt, quæ ad perſonarum cohabitationem in domibus ſpectare videntur; earum ſcilicet numerus, ſtatus, aſſignatio, translatio, & denique cohabitandi modus.

De numero decernimus, vt nulla ſit domus cuiuſcumque generis, in qua viginti ad minus noſtri religioſi non viuant: perſuaſum enim habemus, regularem diſciplinam, ſi minor ibi perſonarum numerus alatur, ſubſiſtere minime poſſe. Quod ſi forte deſignatus hic numerus in aliqua noſtra domo vel ali non poſſit, vel ſaltem proxima ſpes eos alendi non adſit, potiſſima cauſa

hæc

hæc erit, vt de eius domus dimiſſione, ſeu diſſolutione cogitetur; id quod potius noſtræ mentis eſt, quam ibi minorem numerum, non ſine Religionis detrimento, permittere. Verum id totum intelligi debet de domo formata, quæ iam admiſſa, & fundata eſt; ſi enim hoſpitium in aliqua ciuitate, vbi domicilium non habemus, ad pertractanda fundationis negotia ſumeretur, in eo præſignatus numerus neceſſarius non erit. Plures tamen ibi, nemo ſolus, cohabitent. Iam vero domibus, quæ in magnis vrbibus conſtruentur, maior ſemper deſignabitur numerus. Nullibi tamen ita multiplex vt onerari potius videatur domus, quam ſubleuari.

Spectat ad cap. generale vt ſupra c.2.n.3.

Pro hoſpitijs. d. 22.R. & d. 4. c. g. 18. & 7: eiuſdem.

2. Porro perſonarum ſtatus, quatenus ad domorum cohabitationem requiritur, in ſingulis domibus, triplex erit, complectens nimirum ſacerdotes capitulares, ſimplices clericos, & fratres laicos; nec vlla ſit domus, in qua aliquis ex tribus perſonarum ſtatibus, aliquando deſit: quamuis permittendum erit, vt ſimplices clerici in domibus receſſus, non vero ſacerdotes, & laici deſint.

3. Sed iam vlterius perſonarum aſſignatio neceſſaria erit: non enim arbitrio quiſque ſuo, quam libuerit domum eligere ſibi, aut deſignare valebit; ſed id totum ad Prouincialem ſpectabit, qui penſatis vndique locorum, & perſonarum circumſtantijs, perſonarum aſſignationem ea diſtributione perficiet, vt domus quælibet ſuos habeat religioſos viros, qui ei neceſſarij, & ſufficientes erunt.

d.44.R. n.1.& 3.

Supra p. 1. c. 20. n.9.

4. Sed iſtorum tranſlatio ab vno in alium locum ſine iuſta cauſa non fiat, nec transferendi poteſtas penes alios erit, quam penes Generalem, & Prouincialem, quibus profecto capitulares, ſacerdotes, clericos, laicos, profeſſos, nouitios, ad libitum mutare licebit: ſed verò de tranſlatione religioſorum in regionem longinquam ſeruentur, quæ in prima parte cap. 20. ſunt præſcripta. Vlterius etiam capitularis, ac etiam ſimplicis ſacerdotis mutatio per ſex menſes ante capitulum prouinciale neque à Generali, neque à Prouinciali, ſine Aſſiſtentium voto, fieri poſſit.

d.19.c.g 19.

Illud vero adiungimus, vt quandocumque religioſus aliquis cuiuſcumque ſtatus, vel gradus de domo in domum transferendus erit, antea, ſi commodè fieri poteſt, ambo domorum Præpoſiti certiores fiant: et cauendum, ne ita vni domui in ea tranſlatione conſulatur, vt altera detrimentum patiatur. Denique

migra-

migrationis ſumptum ea domus ſoluere teneatur,ad cuius bonum migratio ſpectat.

5. Nunc vero cohabitationis modum ſtatuemus, qui in vniuerſum duplex erit: nam alij, vt domui aſſignati in ea viuent:
d.44.R. n.1.& 3. alij verò vt hoſpites. Qui aſſignatus erit,is profectò complete, quoad omnia, eius loci gubernationi ſubdatur, & regulas omnes exacte obſeruet. Qui verò vt hoſpes, regulas quidem omnes, in quacumque domo extiterit, ſeruare, oneraque ſubire, atque eius loci gubernationi ſubijci teneatur: verum,ſi ob negotia peragenda ibi commoretur,poterit Generalis, vel Prouincialis, iuxta qualitatem negotij, aliquam ei exemptionem, ab ijs
d.57.R. n.1. oneribus tribuere, quæ eiuſdem expeditioni poſſunt obſtare. Sed ea tamen in literis patentibus ſpeciatim ſcribatur, vt eius domus Superiori pateſiat. Volumus tamen, vt quo tempore ibi manebit, ſacrificium miſſæ pro ijs teneatur offerre, quos eius loci Præpoſitus deſignabit. Verumtamen adminiſtrationis iura, etiam quoad benedictiones, & ſigna, dum in ea domo hoſpes morabitur, nequaquam ei competent: ſed omnino quoad hæc, etiam ſi capitularis fuerit, extraneus cenſeatur. Iam vero hoſpi-
d.44. R. n.1.& 3. tium eo ſpatio concludatur, quod Generalis, vel Prouincialis arbitrium iudicabit. Denique nulla ſit domus, quæ hoſpitem ex noſtris eo loci miſſum, etiam ſi diuerſæ Prouinciæ is fuerit,non plena charitate complexum admittat, ſed omni tempore ſingulis quibuſque aperienda ianua erit,& nemini prorſus deneganda. Et præterea ſub grauibus etiam pœnis,Superioribus ipſis ſuo tẽpore infligendis,mandamus, ne vllo vnquam tempore, nec vllo prætextu permittant, vt vbi domicilium habemus, quis noſtrum alibi, quam in ea noſtra domo permaneat.

CAPVT V.

De rebus, & bonis domorum.

1. ET ſi paupertatis lege, quam ſolemniter profitemur, omnino cogamur proprium aliquid in hoc mundo priuatim non habere, vel poſſidere, vt nudum Chriſtum nudi ſequamur; nihilominus tamen,cum vniuerſa Religio, & ſingulæ noſtræ domus in communi, & de communi viuant, bona in communi habere, & poſſidere ſemper eis licebit. Quorum proinde varietas, & qualitas, comparatio, & conſeruatio, adminiſtratio, & diſtribu-

ſtributio, de domo in domum tranſlatio, & denique extra Religionem alienatio hic præſcribenda ſe offerunt.

2. Et quod primo attinet ad bonorum varietatem & qualitatem, alia bona erunt mobilia, alia immobilia: mobilia verò, quæ ad vſum eccleſiæ, tamquam Deo ſacra deſtinantur, etiamſi precioſiſſima ſint, & auro aut gemmis præfulgeant noſtro inſtituto, quo Dei cultum omni via promouere tenemur, quam maxime congruere declaramus. Quæ autem mobilia ad vſum domus, & religioſorum aptantur, ea ſane paupertatis decore ornentur: & idcirco non ſolum priuatim, ſed neque in communi ſerici, argentei, aut aurei aliquid apud nos, ad vſum domus, vel religioſorum habere vnquam poſſe ſancimus; ſi quid vero ex his donatione, vel alio modo ad nos peruenerit, id quidem vel venumdetur, vel ad eccleſiæ vſum aptetur. p.1.c.12 n.4.& 5 Supra p.1.c. 4. n. 7. & d.56.R: n.2.

3. Adhæc quod ſpectat ad immobilia bona mandamus, vt domus exercitiorum ex peculiari paupertatis inſtituto agros, ſiue prædia nullo penitus modo habere, vel poſſidere vnquam poſſint, niſi dumtaxat cum onere perpetuo miſſarum, prout etiam ſupra capite de paupertate decreuimus. Addentes tamen, quod ſi pecunia habita cum huiuſmodi perpetuo onere miſſarum emenda ſint prædia, ſiue agri, non emantur, niſi prouincialis capituli, vel Prouincialis, & Aſſiſtentium ſaltem conſenſus accedat. Illud tamen mandamus, vt nullo modo agrorum, vel prædiorum cultura exerceatur à noſtris: imo & volumus, vt in iiſdem locis nullo penitus modo quis noſtrum cohabitet: ſed nihilominus, cum ob honeſtam animi recreationem, quæ ad obſeruantiæ robur maxime confert, æquum ſit, vt religioſi viri peculiarem aliquem locum extra domum habeant, in quo ſimul conuenientes modeſta remiſſione animum leuent, ne per extranea loca vagentur, concedimus, vt ſolummodo vineam aliquam, aut eiuſmodi generis locum, noſtræ tamen paupertati conſentaneum, etiam ſine onere, ex domus exercitiorum habere, & poſſidere liberè poſſint ſic tamen vt recreationi potius, quam vtilitati deſeruiat. p.1.c.4. n.14.

Denique inter varia bonorum genera annui etiam redditus numerantur, quibus volumus, & ſtricte mandamus, vt eædem exercitiorum domus nullatenus dotari, aut ijs potiri poſſint, niſi fuerint cum onere perpetuo miſſarum: nam ſingulis noſtris domibus hoc modo habere licebit, vt in capite de paupertate præſcripſimus.

4. Sed iam vlterius bonorum quorumlibet comparatio ſic

apud nos ſe habeat; in primis nihil omnino ſollicitudinis admittamus, ſed, in Domino ſpem noſtram collocantes, eius primo regnum quæramus, & alia ſine dubio *adijcie tur nobis*; proinde illa bonorum comparatio, quæ negotiatione efficitur, omnino noſtris prohibita eſſe intelligatur; & ſolum his modis, vt religioſos decet, ad communitatis vſum comparare licebit, videlicet;

5. Primo eleemoſynis, quas profectò, ſicut vltro à fidelibus oblatas recipere oportebit; ita etiam, vbi opus erit, ab eis petere conſentaneum erit. Et eapropter eleemoſynæ procuratores à Superiore conſtituantur, qui viri ſint maturitate, & modeſtia, ac virtutum exemplo idonei: ſed & laici ad hanc rem bini mittantur. Cæterum prohibita nobis vbique intelligatur ad eleemoſynas colligendas arculæ, ſiue capſæ, vel etiam menſæ locatio in eccleſijs, vel alibi; id quod indiſpenſabile prorſus erit. Præterea verò nemo ſiue Præpoſitus, ſiue ſubditus, qui in alia noſtra domo, veluti hoſpes, morabitur, eleemoſynas in eadem vrbe, niſi Prouincialis, vel eius loci Superior facultatem ſcripto tradiderit, petere poſſit: quod ſi vltro oblatas receperit, ei domui ſtatim tradat, à qua hoſpitio receptus fuerit, niſi aliter Prouincialis, aut eius loci Superior diſponat. Nemo inſuper ſiue clericus, ſiue laicus eleemoſynas pro ſuis propinquis, aut extraneis petat, niſi Superior conceſſerit.

d. 43. R, n. 5.

6. Sed & ſecundus modus comparandi bona eſſe poteſt, ſi donatione, vel ſucceſſione, teſtamento, legato, vel alia iuris, aut hominis diſpoſitione aliquid ad nos peruenire contingat; & tunc, ſi ea diſpoſitio ad Religionem in communi ſpectabit, Generalis erit de Aſſiſtentium voto, cui voluerit ex ipſis noſtris domibus ea bona deſtinare. Et ſimiliter ſi ea diſpoſitio vni competet regioni, in qua plures prouinciæ erunt, Generalis de Aſſiſtentium voto, qua libuerit diſtributione, eiuſdem regionis domibus ea bona applicabit. Si verò vni tantum prouinciæ ea diſpoſitio competet, tunc Prouincialis cum ſuis Aſſiſtentibus eiuſdem prouinciæ domibus vni, vel pluribus ea bona diſtribuet. Cum autem ad vnam domum ius illud ſpectabit, eidem ſoli pertinentia bona debita erunt. Si tandem ad aliquem religioſum qualicumque via peruenerint, illius domus erunt, vbi ipſe aſſignatus viuet. Quod ſi vt hoſpes, tunc, ſi diſpoſitio in eadem vrbe fiat, vbi ipſe eo tempore commoratur, ad illam ipſam domum ſpectabit, à qua hoſpitio eſt receptus: ſi tamen dum hoſ-

pes

pes in vna domo cohabitat, alibi in vrbe cui aſſignatus eſt, diſpoſitio peragetur, ad eam ſolummodo ſuæ aſſignationis domum ius illud deuoluetur.

7. Tertio modo comparari poterunt bona ex onere miſſarum, vel officiorum ſuſcepto; vt ſcilicet ſtipendium inde, vel congruus cenſus habeatur: de quo ſtatuimus, vt tale onus, vbi neceſſitas non vrget, nequaquam ſumatur: ea vero vrgente, ſuſcipi quidem in qualibet noſtra domo poterit. Verum, ſi perpetuum imponatur, obſeruentur exactè, quæ ſupra in capite de paupertate decreuimus. Volumus tamen, vt in quolibet prouinciali capitulo decernatur cenſus quantitas, quæ pro onere hoc perpetuo ſuſcipi in ea prouincia debet: ita vt pro minori quantitate nemo tale onus admittere poſſit. p. 1. c. 4. n. 14.

8. Quartus modus comparandi bona, in æris alieni contractione conſiſtere poteſt: de quo tamen decernimus, vt Superior localis pro victu, & veſtitu, pro neceſſaria ædificij reparatione, & huiuſmodi vtilitate manifeſta, quæ differri nequit, poſſit quidem ſine aliorum conſenſu illud contrahere; ſed non niſi ad ſummam quinquaginta aureorum, ſiue totam ſimul, ſiue per partes eam contrahat: vltra quam, capituli localis conſenſum omnino requirimus; quem ſi adhibere Superior nolit, grauiſſime puniatur. Porro in alijs caſibus, præter hos modo enumeratos, volumus, vt nullum æs alienum, modo exiguum non fuerit, ne capitularibus quidem conſentientibus, contrahatur. Si proinde ad annuos cenſus reddendos pecunia ſuſcipienda erit, tum capituli localis, tum etiam Prouincialis, & Aſſiſtentium conſenſus ſemper accedat.

9. Poſtremo iniungimus, vt quæ debita contrahentur, in peculiari libro conſcribantur, & omnino pro viribus adnitendum, vt quam primum exoluantur; & ſubſequens in gubernatione Superior prorſus caueat, ne, quæ prædeceſſor contraxerit, perſoluere aliquo modo renuat, vel nolit; alioquin grauiſſime puniatur.

Sed vltimo de bonorum comparatione illud etiam adiungimus, vt quibus frequenter vtimur, & vſu conſumuntur, ſiue ad victum ſpectent, ſiue ad veſtitum, eorum comparatio tempore congruo fiat: ne cogamur, contra paupertatis iura, rem poſtea carius emere.

10. Sed tranſeamus vlterius ad conſeruationem bonorum, de qua ſtatuimus, quod ad mobilia ſpectat, vt ea in communi repoſita,

Prò profeſſis d. 10. c. g. 19.

poſita, quæ eccleſiæ competunt in ſacrario; quæ veſtitui, in veſtiario; quæ infirmórum curæ, in valetudinario; & quæ alijs rerum generibus, in ſuis quæque locis diſtinćte adſeruentur. Et in ſingulis ſingulos religioſos deputare oportebit, qui eorum conſeruationi inuigilent. Sed & præterea rerum omnium inuentaria fieri volumus quæ penes ſingulos iſtos deputatos erunt: ſicut etiam & librum, qui ſingula domus bona adnotata continens in eiuſdem domus archiuio reponatur. Præter quem Pater Prouincialis librum alium habeat, in quo ſuæ prouinciæ bona omnia immobilia; & ex mobilibus, quæ pretioſa erunt, conſcribantur. Et idcirco Præpoſiti omnes hæc omnia bona Prouinciali adnotata tradant, ipſeque Prouincialis eadem ad Generalem conſcripta referat. Qui ſimiliter librum alium habeat, in quo ſingularum prouinciarum bona regiſtrentur. Sed & inſuper in his libris benefactorum etiam nomina, qui ea bona dederunt, conſcribantur: cum æquum ſit, vt eorum memoria viuat inter nos, qui bene de nobis beneuolentię affećtu merentur.

Quoad pecuniā miſſarū, & ſatisfaćtionem earum d. 21. R. n. 7. & d. 5. c. g. 19. d. 43. R. n. 2. Retinere apud ſe pecuniā ad tres dies permittitur in regulis cōmunibus c. 3. n. 2.

11. Sed iam de conſeruatione pecuniæ illud in particulari præcipua ratione decernimus, vt ea, quacumque ratione, tituloue ad ſingulas noſtras domus, vel religioſos peruenerit, ſtatim Superiori deferatur; & in commune ſcrinium tribus obſeratum clauibus reponatur. Quas quidem tres claues, & tres ſacerdotes ſinguli ſingulas apud ſe habeant. Vbi verò opus fuerit de communi ſcrinio aliquid promere, vel in ipſum pecuniam inijcere; accepti, expenſique rationes diſtinćtis libris, qui in eodem ſeruentur ſcrinio, duobus ſaltem ex illis præſentibus ſacerdotibus, adnotentur. Extet præterea alter grandior codex, quo annuatim acceptum expenſumque fideliter ad ſummam referatur; & horum ſane librorum accepti, & expenſi, non quidem Præpoſitus, ſed arcæ cuſtodes rationem viſitatoribus reddant.

12. Iam vero adminiſtratio bonorum conſequitur. De qua in vniuerſum ſtatuimus, vt ea penes Præpoſitum ſit, non quidem immediate per ipſum exercenda, ſed mediate, ad eius tamen placitum. & præſcriptum per ſuos miniſtros, ſeu officiales, quos ipſe conſtituet, quique rationem ei de omnibus reddant, peragenda. Sed de iſtis miniſtris cap. 7. ſermo redibit, vbi de miniſterijs domorum agemus.

13. Atque interim ad diſtributionem bonorum tranſeamus, quæ quidem hac ratione diſponetur, vt ex mobilibus bonis, quę cuique opus erunt, tam in victu, quam in veſtitu, & in reliquis

om-

omnibus,tanquam ex pauperum patrimonio, à Superiore ſingulis tribuantur. Sed tamen, ſicut neceſſaria deeſſe non debent, ita ſuperflua reſecentur oportet.

Porro inter mobilium diſtributionem pecuniæ expenſas enumeramus, quæ ſane non niſi ad Superioris præſcriptum fieri debent: nec aliquis, ſine eius licentia, ſiue in proprium, ſiue in communitatis, aut alterius rei vſum, impenſam aliquam facere præſumat; grauiter puniendus, qui ſecus facere non erubeſcet.

Pecunia contribuenda cenſultationibus generali, & prouinciali d. 24. R. per totum.

14. Sed & qui ſumptus pro victu, & veſtitu, alijſque rebus peragendus erit, ſi notabilis quantitatis extiterit, ſine conſultorũ voto nequaquam fiat; quorum etiam conſenſus in ipſa ſimul qualitate rei, quæ huiuſmodi notabili pretio emetur, omnino adhibeatur.

In aliquibus ſolemnitatibus poteſt ex ſe Superior expendere ſummam notabilé, vt colligitur ex c. 9. primæ par. n. 5. d. 10. c. g. 19.

Cæterum ad quotidiani victus expenſas deputetur à Superiore vnus, qui præfectus victus appelletur; iſque libellum habeat, in quo quotidianæ rationes adnotentur: is vero ne ſit vnus ex tribus capſæ cuſtodibus, ab eo vero in menſes ſingulos exactè accepti, & expenſi cognitio exigatur.

Inſuper volumus, vt impenſæ omnes ab vna vicarij manu elargitæ dependeant. Is enim ad præſcriptum Præpoſiti præfecto victus, veſtiario, librario, infirmario, ſacriſtæ, & alijs, vt in ſuis quique miniſterijs impenſas faciant tunc temporis, cum eæ peragendæ erunt, non autem antea pecuniam tribuat: nec enim, excepto præfecto victus, qui pecuniam apud ſe pro quotidianis expenſis habere poterit, alijs miniſtris eam ordinarie retinere licebit.

Denique eleemoſynæ ab externis ad rem certam habitæ, in alium vſum expendi nequaquam poſſint; & qui Superior contra fecerit, grauiter, Prouincialis arbitratu, puniatur Caueat autem religioſus quiſque, ne inſcio Superiore offerentis voluntatem immutet. Proinde etiam volumus, vt quas ſubditus de Superioris licentia ad rem certam eleemoſynas procurauerit, Superiori quidem ipſi omnino ſtatim tradat, hic tamen in communem capſam eas reponere teneatur; nec vllo modo in alios vſus, quam ad eos, ad quos de eius licentia iam à principio deſtinatæ fuerunt, conuertat; à Prouinciali puniendus, arbitraria tamen pœna, ſi contrafecerit.

15. Sed iam ſequitur vlterius de domo in domum bonorum tranſlatio, de qua decernimus, vt ſine localis capituli conſenſu, in quo duæ partes aſſentiantur, nullo vnquam modo fieri

poſſit;

poſſit; quidquid Prouincialis, vel Generalis præſcripſerint. Id
d. 52. R. n. 1. & 2. quod de mobilibus primo, quæ minimi valoris non fuerint, intelligi debet; ſecundo etiam de immobilibus, qualiacumque fuerint. Ac inſuper de annuis redditibus, in quauis minima quantitate extiterint: hæc enim omnia, & ſingula nulla ratione, nulloque prætextu, nec vllo vnquam tempore, neque à Præpoſito, neque à Prouinciali, neque etiam à Generali, etiam ſi Aſſiſtentes aſſentiantur, de domo in domum tranferri, vel applicari poterunt, ſine conſenſu duarum partium capituli eius domus, vnde translatio fieri debet.

16. Poſtremo bonorum alienatio, ſeu permutatio ſe offert,
d. 52. R. n. 1. & 2. de qua ſtatuimus, vt quæ mobilia fuerint, minimi tamen valoris, ea quidem exteris dare, vel permutare Præpoſito, non autem alijs licebit: ſi vero notabilis pretij extiterint, ſine Prouincialis facultate, & capituli localis conſenſu, nec dentur, nec etiam pignorentur, aut vendantur, vel quoquomodo alienentur.

Eleemoſynæ inſuper pauperibus pia ſemper charitate, non tamen ſine prudētiæ modo, erogentur. Præpoſitus vero pluſquam vnum aureum in menſes ſingulos ne largiatur, niſi cum conſultoribus rem ante communicet, atque illi aſſentiantur.

Sed præterea immobilia bona, ſine euidenti Religionis, vel domus vtilitate, & ſine Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium placito, ac etiam localis capituli ad duas partes conſenſu, alienari vel permutari, aut etiam pignorari nequaquam poſſe decernimus. Inſuper autem ipſa bonorum alienatio, quamuis legitime decreta; nullatenus tamen, ſine Sedis Apoſtolicæ beneplacito, in ijs in quibus de iure exigitur, executioni mandetur.

Adhæc annuus ille cenſus, ſiue prouentus, qui ex perpetuo
d. 1. R. n. 1. miſſarum, vel officiorum onere alicui domui proueniet, nullo vnquam tempore alienetur, etiamſi Prouincialis, & locale capitulum, imo & Generalis ipſe præberent aſſenſum: omnino enim
d. 43. R. n. 2. & ſupra p. 1. c. 4. n. 14. noſtræ mentis eſt, vt huiuſmodi perpetuo oneri perpetuus etiam reſpondeat omni tempore cenſus; quem proinde, qui alienare, præſumet, priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrat.

CAPVT VI.

De exercitijs domorum.

1. SIngula exercitia, quæ certis perſonis peragenda incumbunt, alibi in cuiuſque regulis tradentur. Communia vero hoc loco præſcribentes, eorum primo varietatem ſic deſignamus, vt alia ſint communia, quæ communi ſimul conuentu peragantur: alia verò, quæ ab omnibus, & ſingulis non tamen in vnum collectis præſtantur: & illa quidem communia, primi generis dicemus; hæc vero ſecundi generis.

2. Communia porro primi generis, quæ ſcilicet communi conuentu peragentur, hęc omnino eſſe declaramus, nimirum renouationem votorum; officia diuina, quæ in choro, vel in eccleſia perſoluentur; rituum exercitationem, quæ ſemel in ſingulos menſes præſtari debebit; orationem mentalem, quæ communis appellatur; examen conſcientiæ, & ſimul gratiarum actionem poſt menſam; euchariſtiæ ſumptionem, quæ clericis, & laicis præſcribitur; auſcultationem ſermonum, vel ſpiritualium collationum, quæ à Superiore peragentur; communem flagellationem; communiter verrere ſemel in hebdomada eccleſiam; communem conuentum ad ſumptionem habitus, & ad profeſſionem; conuentum item ad moribundum fratrem; collationem caſuum conſcientiæ; communem refectionem, primaria quidem ratione, quæ in prima menſa ſumitur; communem denique recreationem.

3. Proinde vero communia ſecundi generis exercitia, quæ ſcilicet ab omnibus, & ſingulis, licet in vnum non collectis, præſtanda erunt, hæc eſſe deſignamus; nimirum votorum emiſſionem, quæ ſuo tempore fiet; orationem circularem in nouitiatibus, & in receſſus domibus; miſſæ auſcultationem, vel miniſterium, quod clericis, & laicis præſcribitur, & eius celebrationem, quæ ſacerdotibus; ſacramenti pœnitentiæ ſuſceptionem; ſpiritualia exercitia, ſemel in anno peragenda; librorum ſpiritualium lectionem priuatam; circulares pœnitentias, & alias corporis afflictationes; culparum in refectorio profeſſionem; obſeruationem ſilentij; & alia demum, quæ in prima parte in ſex illis mediorum generibus, omnibus, & ſingulis obeunda præſcripſimus.

Ac etiam in domibus exercitiorum d. 54. R. n. 1.

4. Sed

poſſit; quidquid Prouincialis, vel Generalis præſcripſerint. Id quod de mobilibus primo, quæ minimi valoris non fuerint, intelligi debet; ſecundo etiam de immobilibus, qualiacumque fuerint. Ac inſuper de annuis redditibus, in quauis minima quantitate extiterint: hæc enim omnia, & ſingula nulla ratione, nulloque prætextu, nec vllo vnquam tempore, neque à Præpoſito, neque à Prouinciali, neque etiam à Generali, etiam ſi Aſſiſtentes aſſentiantur, de domo in domum tranferri, vel applicari poterunt, ſine conſenſu duarum partium capituli eius domus, vnde tranſlatio fieri debet.

d. 52. R. n. 1. & 2.

16. Poſtremo bonorum alienatio, ſeu permutatio ſe offert, de qua ſtatuimus, vt quæ mobilia fuerint, minimi tamen valoris, ea quidem exteris dare, vel permutare Præpoſito, non autem alijs licebit: ſi vero notabilis pretij extiterint, ſine Prouincialis facultate, & capituli localis conſenſu, nec dentur, nec etiam pignorentur, aut vendantur, vel quoquomodo alienentur.

d. 52. R. n. 1. & 2.

Eleemoſynæ inſuper pauperibus pia ſemper charitate, non tamen ſine prudétiæ modo, erogentur. Præpoſitus vero pluſquam vnum aureum in menſes ſingulos ne largiatur, niſi cum conſultoribus rem ante communicet, atque illi aſſentiantur.

Sed præterea immobilia bona, ſine euidenti Religionis, vel domus vtilitate, & ſine Prouincialis, ſuorumque Aſſiſtentium placito, ac etiam localis capituli ad duas partes conſenſu, alienari vel permutari, aut etiam pignorari nequaquam poſſe decernimus. Inſuper autem ipſa bonorum alienatio, quamuis legitime decreta; nullatenus tamen, ſine Sedis Apoſtolicæ beneplacito, in ijs in quibus de iure exigitur, executioni mandetur.

d. 1. R. n. 1.

Adhæc annuus ille cenſus, ſiue prouentus, qui ex perpetuo miſſarum, vel officiorum onere alicui domui proueniet, nullo vnquam tempore alienetur, etiamſi Prouincialis, & locale capitulum, imo & Generalis ipſe præberent aſſenſum: omnino enim noſtræ mentis eſt, vt huiuſmodi perpetuo oneri perpetuus etiam reſpondeat omni tempore cenſus; quem proinde, qui alienare præſumet, priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrat.

d. 43. R. n. 2. & ſupra p. 1. c. 4. n. 14.

CA-

CAPVT VI.

De exercitijs domorum.

1. SIngula exercitia, quæ certis perſonis peragenda incumbunt, alibi in cuiuſque regulis tradentur. Communia vero hoc loco præſcribentes, eorum primo varietatem ſic deſignamus, vt alia ſint communia, quæ communi ſimul conuentu peragantur: alia verò, quæ ab omnibus, & ſingulis non tamen in vnum collectis præſtantur: & illa quidem communia, primi generis dicemus; hæc vero ſecundi generis.

2. Communia porro primi generis, quæ ſcilicet communi conuentu peragentur, hęc omnino eſſe declaramus, nimirum renouationem votorum; officia diuina, quæ in choro, vel in eccleſia perſoluentur; rituum exercitationem, quæ ſemel in ſingulos menſes præſtari debebit; orationem mentalem, quæ communis appellatur; examen conſcientiæ, & ſimul gratiarum actionem poſt menſam; euchariſtiæ ſumptionem, quæ clericis, & laicis præſcribitur; auſcultationem ſermonum, vel ſpiritualium collationum, quæ à Superiore peragentur; communem flagellationem; communiter verrere ſemel in hebdomada eccleſiam; communem conuentum ad ſumptionem habitus, & ad profeſſionem; conuentum item ad moribundum fratrem; collationem caſuum conſcientiæ; communem refectionem, primaria quidem ratione, quæ in prima menſa ſumitur; communem denique recreationem.

3. Proinde vero communia ſecundi generis exercitia, quæ ſcilicet ab omnibus, & ſingulis, licet in vnum non collectis, præſtanda erunt, hæc eſſe deſignamus; nimirum votorum emiſſionem, quæ ſuo tempore fiet; orationem circularem in nouitiatibus, & in receſſus domibus; miſſæ auſcultationem, vel miniſterium, quod clericis, & laicis præſcribitur, & eius celebrationem, quæ ſacerdotibus; ſacramenti pœnitentiæ ſuſceptionem; ſpiritualia exercitia, ſemel in anno peragenda; librorum ſpiritualium lectionem priuatam; circulares pœnitentias, & alias corporis afflictationes; culparum in refectorio profeſſionem; obſeruationem ſilentij; & alia demum, quæ in prima parte in ſex illis mediorum generibus, omnibus, & ſingulis obeunda præſcripſimus.

Ac etiam in domibus exercitiorum d. 54. R. n. 1.

4. Sed

4. Sed iam vlterius de perſonis ad hæc omnia exercitia deſtinatis decernimus, vt ad communia quidem primi generis conueniant ſimul omnes; nec aliquis, ſine Superioris licentia, abeſſe præſumat, ſiue ſacerdotes fuerint, ſiue ſimplices clerici, ſiue etiam laici, ſiue profeſſi, ſiue denique, vbi nouitiatus coniunctus habetur, nouitij: quamuis ad collationes caſuum, & ad rituum exercitationem fratres laici conuenire non debeant, neque etiam ad chorum, niſi dumtaxat ad matutinum, ea ratione, quam ſuo loco præſcripſimus: & ſimiliter nouitij neque ad collationes ſpirituales, & ſermones, neque ad examen conſcientiæ veſpertinum, inter profeſſos peragendũ, nec etiam ad collationes caſuum conueniant; quibus inſuper caſibus profeſſi clerici nec intereſſe cogentur.

d.14.c.g. 19. circa principium.

Iam verò ad communia ſecundi generis exercitia, omnes, & ſingulos deſtinamus, adeo vt nemini liceat ab ijs aliquo modo ſe eximere.

5. Porro tempus ad exercitia primi generis deſignandum ſic diſponatur, vt opportune omnia fiant & eapropter in ſingulis prouincijs pro regionum, & climatum varietate, congruenti diſpoſitionis ordine deſtinatæ pro ijſdem horæ diſtribuantur, & in tabella conſcriptæ retineantur; ac etiam experimento probatæ typis, ad capituli prouincialis præſcriptum, mandentur eaſque nemini variare licebit. Sed & plurimum iuuerit ad conſonam horarum diſpoſitionem, ſi domus ſingulæ ſuum peculiare horologium habeant, ideoque illud Superiores efficere curent.

6. Adhæc modus ad exercitia conueniendi per campanæ pulſum erit, qui variè iuxta exercitiorum varietatem diuerſificabitur, vniformi obſeruantia in ſingulis noſtris domibus conſtanter vbique retinendus; nec alios, præter deſignatos, licebit introducere pulſus.

7. Sed & ordo inſuper in eiſdem primi generis exercitijs apprime neceſſarius ſic diſponatur. Primo quidem in domibus exercitiorum, receſſus, & ſeparati nouitiatus à matutinis precibus hora deſignata perſoluendis initium ſumetur: poſt quas immediatè ſequetur prima communis oratio; & ea abſoluta pulſabitur ad ſecundam; & ſtatim deinde circularis oratio incipiet, vbi ſcilicet ea inſtitui debet. Vlterius autem ſuo deſtinato tempore horæ dicentur; & diebus feſtis miſſa ſimul ſolemnis, eo ordine quem deſcripſimus. Hora proinde competenti prandium ſubſequetur, & immediate poſt illud gratiarum actio, & examen

con-

conſcientiæ ; & ſtatim deinde communis recreatio ad horam : qua expleta pulſabitur ad meridianam quietem : poſtea veſperæ ſubſequentur. Cœterum veſpertina oratio, veſpertina recreatio, & veſpertina refectio eo ordine diſponantur, prout diſponenda ſuis locis præſcripſimus, habita æſtatis, hyemiſque ratione. Volumus autem, vt à dato vltimo ſigno prandij ad cœnam, octo, vt minimum, horæ intercedant. Aliquid verò amplius vſque ad refectiunculam veſpertinam, ieiunij die. Denique cubandi ſignũ, hyeme, poſt horam dabitur à prima menſa expleta; æſtate vero poſt duos circiter quadrantes à ſilentij ſigno.

8. Iam verò in collegijs hic idem ordo diebus dominicis, & feſtis primæ, & ſecundæ claſſis ſeruetur: alijs vero diebus, cum ibi chorus eſſe non debeat, initium exercitiorum a prima communi oratione ſumendum erit, cuius ſignũ dabitur paulo poſt illud tẽpus, quo matutinæ preces in choro perſolui deberent. Vltimo decernimus, vt hic exercitiorum ordo inuariatus vbique retineatur, & in eo diuerſitas euitetur.

CAPVT VII.

De miniſterijs domorum.

1. IN religioſis cœtibus, ſicut exercitia ad regularem diſciplinam ſpectantia deſignantur, ita inſuper miniſteria ad domorum diſpoſitionem ordinata deputantur; quorum primo varietatem ſic præſcribimus, vt omnino hæc ſingula in ſingulis noſtris domibus habeantur: videlicet miniſterium eccleſiæ, ſacrarij, bibliothecæ, victus, veſtitus, valetudinarij, procurationis negotiorum, ianuæ domus, mundiciei, ſignorum denique ad conuocandos religioſos.

2. Ad quæ omnia perſonæ deputentur, quæ in charitate, ac diligentia miniſtrantes conſonam reddant ordinationem domorum: vnde conſtituatur vnus, qui, præfectus eccleſiæ appellatus, ei immediatè intendat; alter, qui ſacriſta, ſacrario; qui choro, cęremoniarum magiſter; qui bibliothecæ, bibliopola; qui victui, præfectus victus; qui veſtitui, veſtiarius; qui negotijs, procurator; qui infirmorum curæ, infirmarius; & ſic de ſingulis.

3. Quorum omnium deputatio ab ipſo domus Præpoſito fiet, qui vt bonus artifex, ad quemlibet vſum idonea inſtrumenta

coaptare nitatur. Et laicos quidem ad ea miniſteria, quæ manuum exercitium, & occupationem nimiam expoſcunt: clericos verò, & ſacerdotes, ad alia, quæ occupatione minus indigere videntur. Sed & virium, ætatis, ac valetudinis ratio in hac deputatione ſemper habeatur. Denique eorum etiam mutatio ab ipſomet Præpoſito dependebit, qui tamen ad eam ne facile procliuis inclinet.

d.10.c.g. 19. 4. Cæterum, vt in ſingulis miniſterijs deputati miniſtri recte ſe gerant, ſingulis ipſis inſtructiones ſcripto tradantur, quæ ex libro de noſtris regulis tranſcriptæ colligentur.

CAPVT VIII.

De domibus nouitiatus ſeparatis.

1. HVcuſque ſatis de domibus in communi; nunc de ſingulis agendum. Et à ſeparatis nouitiatibus incipientes, eorum primo numerum ſic præſcribimus; vt in ſingulis prouincijs, vnus, vel ad ſummum duo, ſiue intra vrbem, ſiue in eius ſuburbijs, in loco ſalubri conſtruantur. Et vbi huiuſmodi ſeparata domus ſufficiens, & capax ſtatuetur, in ea quidem prouincia coniunctus nouitiatus nullatenus habeatur.

2. Eius proinde diſpoſitio hac ratione ordinetur, vt ſit ibi eccleſia ad officia diuina celebranda; non quidem intra clauſtra ſita, ſed eis tantum coniuncta. Ædes pro habitatione tot ad dormiendum ſeparatas cellulas contineant; quot numero nouitij, & aliæ perſonæ ibi degentes erunt. Oratorium inſuper, & alia apta, & communia loca ad communes functiones, & officinæ diſtinctæ habeantur. Hortus etiam ad honeſtam recreationem bene concluſus, atque munitus non deſit.

3. Porro ad eius loci cohabitationem has perſonas deſtinamus; in primis nouitios prouinciæ; ſecundo magiſtrum, qui eiuſdem loci Præpoſitus erit; eiuſque vicarium, qui coadiutoris munere fungatur. Tertio duos alios patres deciſiui ſuffragii, qui ſimul cum vicario conſultores erunt; tali tamen ſpiritu, atque talento præditi, vt facilè magiſtri nouitiorum euadere poſſint. Quarto patrem alium, qui procuratoris officium ſubeat, & non minus virtutum exemplo polleat, quam in agendis negotiis dexteritate, ac diligentia præſtet. Quinto aliquos etiam clericos pro-

profeſſos, & laicos ad varias ibi functiones obeundas. Præter hos aliorum nemini, illuc vel accedere, ſine magiſtri licentia, licebit.

4. Iam vero de bonis huius domus decernimus, vt ea ad nouitios alendos annuis redditibus præcipue conſtent, nihilque proinde ibi deſit, quod diuini cultus, item victus, & veſtitus ratio poſcat.

5. Exercitia verò, quæ hoc loco peragentur, eadem ſint, quæ in domibus exercitiorum actitantur, adiuncto inſuper orationis circulo. Excipimus tamen vitæ actiuæ exercitia circa externos, præterquam ſacramenti pœnitentiæ miniſterium, quod ibi de licentia Prouincialis à conſultoribus, non autem à magiſtro, & vicario poterit externis adhiberi. Scholaſtica verò literarum ſtudia, etiam facultatum inferiorum hoc in loco omnino prohibemus. Sed porro peculiaria huius domus exercitia iam ex parte, cum de nouitijs agebamus, deſignauimus, & complete in libello de inſtructione nouitiorum tradentur.

CAPVT IX.

De domibus ſtudiorum, ſeu collegijs.

1. IN ſingulis prouincijs deſtinatæ ad ſcholaſtica ſtudia domus, tot numero quot pro ſcholaſticis noſtris neceſſariæ erunt intra vrbem, non extra habeantur; ſic diſpoſitę, vt ibi eccleſia domui coniuncta, & in remota parte domus, ſcholæ conſtruantur; annuis redditibus ad ſcholaſticos alendos dotentur.

2. Sed & perſonæ, quæ ibi viuent, huiuſmodi erunt, nimirum, ipſimet ſcholaſtici noſtri; eius loci Præpoſitus; vicarius; conſultores; procurator domus; & alij ad alia munia obeunda neceſſarij. Nemo autem qui collegio non deſeruiat, ibi viuere poſſit, niſi ex graui cauſa id alicui, de Aſſiſtentium voto, Prouincialis concedat: nouitijs autem nullo modo, nec vlla ratione ibi cohabitare licebit. d. 34. R. n. 2.

3. Quod verò ad exercitia, & ad rationem viuendi attinet; chorus ibi quotidianus non erit, ſed dominicis tantum, & feſtis diebus primæ, & ſecundæ claſſis, ea ratione, quam in prima parte deſcripſimus. Circulares illæ afflictationes, quæ pœnitentiæ dicuntur, ne fiant ſingulis diebus omnes, ſed ſingulæ in

ſingulos dies. Sextis ferijs communem flagellationem; ieiunia itidem aduentus Domini; & ſecundæ, & quartæ per annum feriæ, abſtinentia carnium: atque huiuſmodi ieiuniorum, rerumque cæterarum obſeruationes habeant collegia, non ſecus, d.20.c.g. 19. ac domus reliquæ. Sed & vitæ actiuæ exercitia ad proximorum iuuamen libenter etiam ibi admittimus; non tamen adeo completè, vt in exercitiorum domibus; ſed vero peculiaria collegiorum exercitia erunt præcipue ſcholaſtica ſtudia, quæ ibi omni tempore accuratiſſimè retinere, ac promouere oportebit.

CAPVT X.

De domibus exercitiorum.

1. INter omnia domorum genera, exercitiorum domibus primarias vices iure optimo tribuemus, cum ibi inſtituti noſtri ratio completè quoad omnia exoluatur, & contemplationis ſimul, & actionis exercitia rite præſtentur.

2. Ergo in ſingulis prouincijs eæ domus in maiori numero, quam reliquæ, & intra vrbium mœnia conſtruantur, vel ſaltem in ſuburbijs.

3. Ea vero diſpoſitione, vt ampla ibi eccleſia, & omni decore effulgens, ædibuſque coniuncta locetur; ipſæ verò ædes omnibus ad habitandum,& ad communes functiones obeundas, locis aptentur.

4. Perſonæ vero ibi degentes eæ ſint, quæ ſpiritus, ac literarum talento præditæ, vtriuſque valeant munia vitæ preſtare. Et omnino ad clericales functiones obeundas,clerici ibi non deſint p.2.c.13. n.4. ac eapropter ſecundus nouitiatus, vt iam alibi ſtatuimus, in huiuſmodi domibus peragetur.

5. Proinde vero exercitia omnia contemplationis, & actionis, quæ in prima parte præſcripſimus, huius domus propria, & peculiaria erunt: vnde chorus quotidianus; circulares pœnitentiæ; ſacramentorum, & verbi Dei adminiſtratio; quadraginta horarum oratio; ſecularium congregationes,& reliqua omnia, quæ tum actiuæ, tum contemplatiuæ parti debemus, ibi completa ratione perſoluentur. Excipimus vero ſcholaſtica literarum ſtudia, ſi in eadem prouincia ſufficiens ſtudiorum domus, ſeu collegium erit; quamuis rhetoricæ, & linguarum facultates pro no-

noſtris profeſſis, qui ibidem ſecundi nouitiatus tempus traducunt, omnino prẹlegere oporteat.

CAPVT VLTIMVM.

De domibus receſſus.

1. VT remotis impedimẽtis contemplationis iter, libero ſemper curſu, à nobis arripi poſſit; domus illas, quæ receſſus appellantur, conſtruendas eſſe decreuimus: ſed non niſi ſingulas tantum in ſingulis prouincijs. Sint porro longe à mœnibus, & ſuburbijs diſſitæ; & eccleſiam habeant intra clauſtra, quo fœminis nullo modo ingredi liceat; ædes proinde ea diſpoſitione, qua aliæ reliquarum domorum ordinentur.

2. Soli ibi degent profeſſi, ex iis nimirum, qui in ea prouincia vt aſſignati viuunt, quique nullo interim funguntur officio: nouitijs ne pateat aditus, neque etiam clericis profeſſis, qui ſacerdotes non ſunt. Nemo inſuper punitionis, vel pœnitentiæ prætextu; nemo etiam, qui renuat, ad has domus, licet per paucos dies, deſtinetur: ſed qui liberè, & ſpontaneè ibi cohabitare voluerint; eis tamen promiſcue ne pateat aditus: ſed delectus habeatur, prout prudens Prouincialis diſcretio, cuius quidem licentia accedere debet, non ſine maturtiate diſponet. Cœterum ex ijs ad officium aliquod alibi adminiſtrandum eligere poterit Prouincialis, quẽ voluerit. Et ſi quis inſuper inde egredi, & ad aliam inigrare domum velit; id, ſi Superiorem prẹmoneat, cuique licebit: modo ad eam domum redeat, vnde diſceſſerat.

3. Iam verò ad eos, qui ibi degent, alendos, annuis reddibus ea domus dotetur. Exercitia autem, & viuendi ratio ſic ſe habeant. In primis nulla ibi vitæ actiuæ exercitatio admittatur. Et ideo ſecularibus prædicare, & eorum confeſſiones audire, non licebit, niſi grauem ob cauſam id aliquando Generalis concedat. Scholaſtica literarum ſtudia nulla ibi inſtituantur, ac proinde nulla ſcientia, aut facultas prælegatur, ne noſtris quidem: vnam excipimus myſticam theologiam, quam, vt pote tali loco congruam, ſemel in hebdomada prẹlegi volumus. A dicta domo nemo egredi poterit, niſi procurator cum comite laico, & quotidiani victus emptor. Silentium ibi perpetuo ab omnibus ob-

obſeruetur, ita vt neque cum ſecularibus, neque inter ſe vnquam colloqui liceat; niſi præſcriptis diebus, quando ſimul conuenient; vt mox dicemus. Excipimus tamen loci Præpoſitum, procuratorem, & ianitorem: ij enim, qui negotia domus adminiſtrant, ſilentium tam arcte cuſtodire non poterunt. Excepto aduentus, & quadrageſimæ tempore, ter tantum in hebdomada ſimul conueniant; hyeme poſt prandium, æſtate poſt cœnam per horam, vt mutuo colloquio ſolatium ſumant, nempe die dominico, feria tertia, & quinta. In aduentu autem, & quadrageſima ſolis diebus dominicis ſemel in die poſt prandium; ſed & magis peculiaria huius domus exercitia, chorus, & circularis oratio erunt, & alia omnia, quæ contemplationi debemus; hoc enim intuitu has amplectimur domus receſſus.

CON-

CONSTITVTIONVM CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM PARS QVARTA.

De gubernatione, ac regimine noſtræ Religionis.

PROVIDA iam diſpoſitione monemur, vt noſtræ Religionis gubernacula iaciamus, ſuper quæ firmiter ſolidata, inſtituti ratio, auxiliante Deo, inconcuſſa manebit: quandoquidem hæc eſſe perhibentur, per quæ cœtus cohærent, & ſine quibus iure diſſolui coguntur. Sed plane, cum duplex in omni ſocietate inſtitui gubernatio poſſit; nimirum gubernatio per leges, & gubernatio per perſonas; vtramque ſimul ad noſtræ Religionis munimen complectentes, per ſequentia capita diſponemus.

CAPVT I.

De prima noſtræ Religionis gubernatione, quæ eſt per leges in vniuerſum.

1. PRima gubernationis ratio legum continet inſtituta, quæ omnibus, tacita quadam voce loquentes, deuios motus ſua virtute reprimunt; extirpant vitia; virtutes inſerunt: mores reformant: vt merito illa vita verè regularium ſit, quæ legis imperio diſpoſita ordinatur.

2. Sed proinde, vt noſtræ leges, recta valeant nos moderatione dirigere; operæpretium eſt, vt earum ratio hoc loco ſerio præſcribatur; quam ſane diſponentes, earum primò varietatem trademus; deinde eas condendi poteſtatem; tũ earum diſpenſationem, declarationem, & innouationem; poſtmodum obligationem, & vim.

CAPVT II.

De legum noſtræ Religionis varietate,

1. VT legum plenitudini conſulamus, ex qua faciliùs in moribus vniformitas, in actibus directio, in euentibus remedia promanant; iure, ac merito earum varietatem præſcribimus, & in hos libros diuidimus.

2. Quorum primus præcipuus inter omnes, & velut fons cæterorum, conſtitutiones comprehendit; quibus ſcilicet inſtituti noſtri ratio, & tota regularis vitæ ſubſtantia ſolidatur: quales nimirum ſunt hæ omnes, quæ in hoc libro, in quatuor partes diſtincto, continentur.

d.4. c. g. 19. 3. Sed, præter hunc, ſecundus liber erit, in quo regulæ omnes tum communes, tum particulares conſcribantur. Communes quidem, quæ nil aliud ſunt, quam eæ leges, quæ omnibus, & ſingulis religioſis communiter obſeruandæ incumbunt: & eapropter obſeruantiæ communes dicentur; quarum ſane plurimæ, & fere omnes in hoc libro conſtitutionum habentur, præcipue in pri-

prima parte; & ideo neceſſe erit, vt inde ſimul depromantur, & in vnum, velut in compendium redactæ, colligantur, atque in eo ſecundo legum libro collocentur, & publicè legantur ſingulis menſibus, vt præcipitur prima parte c.24.n.8. Et aliæ etiam, quæ magis ad particularia deſcendant, ſimul cum illis addantur, ea capitum diuiſione, quæ facilior, & aptior erit. Ex quo fiet, vt breuiter collecta religioſus quiſque habeat, quæ ab eo obſeruari debebunt. Sed vero, præter has, quæ communes regulæ, ſeu obſeruantiæ dicentur, conſcribendæ etiam erunt, & in eodem ſecundo libro ſubnectendæ regulę particulares, & inſtructiones variæ ad omnia perſonarum genera, earumque ſtatus, ac miniſteria ſpectantes; nimirum regulæ, & inſtructiones Prouincialis; regulę, & inſtructiones Aſſiſtentium; inſtructiones Prępoſiti; & ſic de ſingulis: ita vt nemo ſit, qui in aliquo ſtatu, vel officio etiam infimo cōſtitutus, qui ſuas peculiares non habeat regulas, quibus ſibi munus iniunctum complere exactiſſime poſſit. Et tanti eſſe peculiares has inſtructiones arbitramur, vt ſine illis, confundantur oportet, quæ regularis ordo expoſcit. Ergo præſcribantur, & ſtatim atque in aliquo fuerit ſiue ſtatu, ſiue officio quis locatus, ſua ei tradatur inſtructio, qua facile, quod ſibi munus incumbit, exequatur. Cæterum, cum aliquę ex his regulis hoc in conſtitutionum libro (licet admodum paucę) contineantur; omnes inde depromptæ colligantur, & cum alijs completè addendis vniantur.

d.10.c.g. 19.

4. Iam vero tertius noſtrarum legum liber erit, in quo minutatim ritus omnes, & cæremonię conſcribantur, tum quæ in eccleſiaſticis miniſterijs peragendę erunt; tum etiam, quæ in alijs noſtris functionibus intra domum obeundis, inſtituti noſtri ratio expoſcit.

d.18.c.g. 19. & ſupra p. 1. c.9. n. 6.

5. Quartus inſuper erit, in quo ratio nouitios educandi latè diſponi, & magiſtri, eiuſque coadiutoris inſtructiones, ac peculiares nouitiorum regulæ præſcribi debebunt.

Quiritus obſeruandi ſunt, vt aliæ leges, ex p.1.c.24. n.4.

6. Quintus denique, in quo ſtudiorum noſtrorum ratio, & regulæ omnes ad lectores, & ſcholaſticos attinentes, & ad particularia deſcendentes, plene tradentur.

7. Atque in hunc modum vniuerſales noſtræ Religionis, & communes leges diſponentur, omni tempore, & vbique locorum obſeruandæ; præter quas, decreta varia à capitulis generalibus ſuo tempore celebrandis, prout occaſio tulerit, confici poterunt, de quibus ſuo loco.

In duobus ſequentib. capitib.

CAPVT III.

De poteſtate leges noſtras condendi, deque earum declaratione, diſpenſatione, ac mutatione.

1. QVod primo attinet ad leges condendi poteſtatem, illud decernimus, vt præter has ipſas conſtitutiones, quæ ſtabilitæ iam, & definite in hoc libro conſcriptæ habentur, vt perpetuæ ſint; & vniuerſales alias leges in quatuor alijs libris præſcribendas; nemo prorſus eas condendi facultatem habeat, niſi dumtaxat generale capitulum: cui etiam ſemper libera poteſtas inerit quæcumque alia cuiuſcũque generis decreta, & noſtrę Religioni communia, & vbique ſeruanda conficere; dummodo ſacris canonibus conformentur, & Concilio Tridentino, & conſtitutionibus apoſtolicis. Imo & poteſtatem habebit decernendi, vt pręter has ipſas cõſtitutiones, alia decreta ab eo confecta vim cõſtitutionis retineant, & vt conſtitutiones habeantur; dũmodo per tria capitula generalia immediatè ſibi inuicẽ ſuccedentia fuerint ſemper ſpeciatim in ſingulis ipſis confirmata. Iam vero Prępoſitus Generalis, etſi Aſſiſtentes conſenſum præbeant, nullo modo nouas conſtitutiones, aut cuiuſcumque alterius generis leges condere poterit; ſed ſolummodo ordinationes quaſdam, vt malis, & inobſeruantijs, quæ emergent, occurrat, conficere, quæ iam editis legibus conformentur. Id quod Prępoſitus etiam Prouincialis in ſua prouincia, & in eadem prouinciale capitulũ; ac inſuper localis Superior in ſua domo efficere eodem modo valebunt: in illis tamen ordinationibus parci admodum ſint, nec niſi, vbi neceſſitas poſtulabit, eas conficient; ſic tamen, vt conſtitutionibus, & alijs noſtris legibus non aduerſentur.

Ordinationes non ſemper durant, vt infra c.4. n.2.

Etiam Viſitatores poſſunt ordinationes efficere d.21. R. n.2.

2. Proinde quod attinet ad legum declarationem, vbi earum aliqua dubia eſſet, & interpretatione indigeret, tam Generalis, quam Prouincialis, quam etiam localis Superior ea poterunt vti, ſi res in ſe non fuerit tanti momenti: quod ſi alicuius ponderis extiterit, pręſertim vbi agitur de aliquo ſubſtantiali iuſtituto, interpretatio ad Generalem, Aſſiſtentium voto adhibito, ſpectabit: non tamen eę declarationes vim legis vniuerſalis habebunt, niſi forte ſequens generale capitulum, in quo omnino examinari debebunt, hanc eis vim attribuat. Cœterum conſtitutiones ipſas ex profeſſo exponere, vel commentario elucidare nemini omnino

nino licebit, quamuis gloſſę quædã à capitulo generali ipſis adiji- ci poſſint.

3. Prętereà de legum noſtrarum diſpenſatione illud primò expreſsè prohibemus, ne alicui domui, aut prouincię ab aliquo onere, aut exercitio, quod eis ſubeundum erit, quouis colore aut prætextu exemptio, aut diſpenſatio, etiam ad tempus concedatur; neque etiam à Generali, quamuis Aſſiſtentes conſentiant. Deinde perpetuas diſpenſationes, ſeu exemptiones, ſiue ab omnibus ſimul regulis, oneribus, & exercitijs, ſiue tantum ab eorum aliquo, peculiari perſonę nullo pacto concedendas eſſe ſancimus; eaſque vt perpetuam Religionis labem ſic omnino interdicimus, vt nullo tempore, nulloque prętextu, etiam à Generali, de Aſſiſtentium voto, eas dari poſſe velimus; nullas, & irritas reddentes eas, quę forte alicui concedentur: & qui extra Religionem eas ſibi procurare pręſumpſerit, ipſo facto, quolibet iuris ſuffragio priuatus exiſtat; ac vt Religionis aduerſarius iure cenſendus erit: cum ei perniciem non vereatur afferre. Iam vero temporanę diſpenſationes, ſeu exemptiones ad aliquod tempus, pręter eas admodum paucas, & raras, quę in his conſtitutionibus iure, ac merito aliquibus tantum, alijs oneribus prę- grauatis, in caſu particulari concedere viſum eſt, nullæ alię cuiquam concedantur: niſi vbi neceſſitatis ratio, vel alia grauis cauſa interceſſerit; & tunc quidem non ab omnibus oneribus, vel exercitijs, ſed ab ijs tantum, quæ eo neceſſitatis tempore nullo modo, vel ſaltem difficilè ſubiri valebunt: & ita inſuper concedi poterunt, vt tamen nihil in vniuerſum à noſtris regulis, & obſeruationibus detrahatur; ſed ſolum, in caſu aliquo particulari paucis vicibus, & cum aliquibus tantum, qui indigere videbuntur. Eas porro concedendi facultatem non ſolum Generalis, ſed Prouincialis, atque cœteri etiam Superiores in ſuis quiſque locis habeant; ſic tamen, vt Generalis, vel Prouincialis aſſignato religioſo in alia domo, non ipſorum reſidentię deſtinata, non prius diſpenſationem concedant, quam relationem à loci Prępoſito habeant: &, ſi deinde vltra duos menſes eam protrahere velint, omnino Aſſiſtentium vota adhibeant. In vniuerſum autem Superiores omnes noſtri videant, ne forte prętextu diſpenſationum abuſus irrepant, & ſemper illius ſententię meminerint; *Vbi neceſſitas non eſt, nullo modo maiorum inſtituta violentur.*

Non eſt hic ſermo de poteſtate capituli generalis d. 14. c. g. 19. circa initium.

d. 48. R. n. 1.

4. Sed iam de legum noſtrarum mutatione, ſeu innouatione illud in vniuerſum ſancimus, vt poſitas ſemel leges conſtanter

obſeruemus; nec earum aliquam, niſi vbi aliter vel ſumma vtilitas, vel ſumma neceſſitas expoſcerint, immutare tentemus: nam profectò totius mali fons, & origo, turpis illa inconſtantia eſt, qua iuſſa vetantur, vetita iubentur; & vacillabit Religio, vbi leges vacillant. Sed, etſi interdum ob ſummę neceſſitatis, vel vtilitatis rationem aliqua innouatione opus erit, poteſtas innouandi, ſeu mutandi leges vniuerſales illis quinque libris contentas, ac etiam decreta capituli generalis penes ipſum generale capitulum ſolummodo erit: dummodo ſacris canonibus, & Tridentino Concilio non contradicat. Prius tamen elaborandum erit, vt quouis alio modo, nimirum declaratione, vel expoſitione neceſſitati prouideatur, abſque expreſſa legis mutatione.

5. Deinde verò quod in particulari attinet ad librum conſtitutionum, in quo ſane totius noſtri inſtituti ſubſtantialia continentur, decernimus, vt nullo modo aliqua ex his conſtitutionibus immutari, aut infringi poſſit, niſi ex quatuor capituli partibus tres concurrant, atque in hoc vim conſtitutionis inter alia pręcipua locamus. Sed & volumus inſuper, vt quę in ipſis lex immutanda erit, ea nullo modo, nec vllo vnquam tempore ex hoc eodem conſtitutionum libro expungi, vel tolli poſſit; omnino enim integrę ſemper, quoad omnia, & ſingula hę conſtitutionum leges eodem ordine, quo ſunt conſcriptę, & quibus explicatę ſunt verbis, ſine aliqua mutatione, permanere debebunt: & ſatis erit, ac neceſſitati ſufficienter conſuletur, ſi quæ immutatio decernatur, ea in decretis capituli generalis conſcribatur; ſic tamen vt ſemper poſt tria capitula generalia colligantur ſimul, & in vnum redigantur decreta omnia, quæ in tribus ipſis capitulis ſpeciatim in vno quoque confirmata fuerunt; & eo ordine, ac methodo, quę his conſtitutionibus ſit conformior, typis mandentur, ſub nomine decretorum, quę vim conſtitutionis habeant. Cœterum ad alias leges, quę in alijs libris continentur, immutandas, maioris ſolummodo partis capituli generalis ſufficiens erit aſſenſus. Poſtremo, ne extra tempus capituli, vel minima detur immutandi occaſio, mandamus, vt nullo modo vniuerſales leges, quęcumque illæ ſint, typis denuo mandari poſſint poſt primas editiones, niſi, grauem ob cauſam, plenam dederit Prępoſitus Generalis, de voto Aſſiſtentium, facultatem,

CA-

CAPVT IV.

De legum noſtrarum obligatione, & vi.

1. VIs, & obligatio noſtrarum legum attendi poteſt vel in ordine ad tempus, vel in ordine ad perſonas, vel tertio in ordine ad culpam, aut pœnam.

2. Quod attinet ad tempus, leges omnes vniuerſales illis quinque libris conſcriptę, ac inſuper decreta capituli generalis ſemper omni tempore vim habebunt, donec expreſsè fuerint ab ipſomet capitulo reuocata: & eodem modo quæ decreta in prouinciali capitulo fuerint, ſemper vim habebunt, vſque dum ab alio prouinciali, vel à generali capitulo ſint abrogata. Cæterũ ordinationes Præpoſiti generalis, vel prouincialis, aut etiam localis, expleto eorum gubernationis curriculo, ipſo facto, quo ad obligationem expirare intelligantur, niſi denuo à ſucceſſore firmentur. Decreta capituli prouincialis vim non habẽt niſi confirmentur à conſultatione generali infra c. 24. n. 8.

3. Proinde in ordine ad perſonas, leges noſtræ ligabunt omnes ſine exceptione tam ſubditos, quam ſuperiores: niſi dumtaxat vbi aliqua in caſu particulari, vt ſupra dictum eſt, diſpenſatio intercedat. c. præcedẽti n. 3.

4. In ordine verò ad culpam, & ad pœnam, teſtatum volumus, nullam noſtrarum conſtitutionum, & legum, neque aliarum deinceps faciendarum obligare nos ad culpam vllam, cuiuſcumque generis ſit; ſed ad pœnam ſolummodo aliquam: culpæ tamen ij ſolum erunt obnoxij, qui aut quidpiam ſubſtantialium votorum, vel iuramentorum; aut quód naturali, diuina, ſeu eccleſiaſtica lege prohibeatur, auſi fuerint violare; aut præcepto in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis, à Superiore, modo quo ſupra, eis facto, non obedire. p. 1. c. 5. n. 8.

CAPVT V.

De ſecunda noſtræ Religionis gubernatione in vniuerſum, quæ à perſonis exercenda erit.

1. AD rectæ gubernationis ordinem ſola legum diſpoſitio nequaquam ſufficit, ſi non ſimul etiam perſonarum directio adiungatur: quandoquidem legibus, atque perſonis omnis gubernatio conſtat; &, ſi leges tacitæ vocis moderamine regunt, perſonæ authoritatis imperio promouent, & opere ipſo regiminis iura exercent: & idcirco eam modo gubernationem, quæ à perſonis exercenda erit, iure præſcribendam aggredimur. Primo tamen in communi; deinde vero in particulari. Et in communi quidem eius varietatem; perſonarum ad eam promotionem; ipſummet gubernationis exercitium; & denique durationem, & deſitionem diſponemus. In particulari autem de gubernatione generali, de prouinciali, ac de locali agemus.

CAPVT VI.

De varietate gubernationis à perſonis exercendę.

1. VT plena ſit, & perfecta noſtræ Religionis gubernatio, prima veluti diuiſione in tria genera eam diuidendam eſſe cenſemus. Quorum primum erit gubernationis generalis; ſecundum gubernationis prouincialis; tertium gubernationis localis: omnino enim varijs in locis varia domicilia erigere intendit Religio; & ideo neceſſe eſt, vt poteſtas quædam generalis ad omnes vbique regendos, & gubernandos deſtinetur, quæ fons, & origo ſit aliarum gubernationum, ſiue prouincialium, ſiue localium.

2. Sed quoniam, adaucto religioſorum numero, facilius adhuc in prouincias diſtributus vniuerſus Religionis ordo dirigi poteſt, ideo operę pretium eſt, vt & prouinciæ conſtituantur, & in earum qualibet prouincialis gubernatio collocetur.

3. Et pari ratione, cum hæ duę poteſtates vniuerſali quodam regimine debeant Religioni intendere, neceſſe erit, vt proxima

quæ-

quædam, & immediata poteſtas in ſingulis domibus deputetur, quæ ex proprio nomine localis gubernatio dicatur; proinde vero ſub quolibet gubernationis genere varios quoſque gradus locandos eſſe decernimus. Et ſub generali, primum gradum generali capitulo damus, quod ſtatis temporibus cogendum primaria quadam auctoritate vniuerſæ Religioni intendet. Secundum Præpoſito Generali deſignamus, qui, extra tempus huius capituli, vniuerſalis etiam regiminis onus aſſumet. Tertium Aſſiſtentibus deputamus, qui ipſum Generalem mente, & conſilio promouebunt. Quartum conſultationi deſtinamus, quæ ab ipſo Generale cum ipſis Aſſiſtentibus habenda erit. Quintum Secretario tribuimus, qui ipſiuſmet Generalis, in regiminis directione diligens operarius erit. Sextum denique Procuratori generali aſſignamus, qui ſanè, ad totius ordinis negotia Romę peragenda, factis, & opere Generalem adiuuabit.

4. Iam vero ſub gubernatione prouinciali ij gradus conſtituentur. Primus, in quo prouinciale capitulum locabitur, vt prouinciæ moderationi intendat. In ſecundo Præpoſitus Prouincialis, qui extra tempus huius capituli commune prouinciæ regimen ſubire debebit. In tertio eiuſdem Prouincialis Aſſiſtentes, veluti eius adiutores mente, & conſilio. In quarto conſultatio ab ipſo Prouinciali cum Aſſiſtentibus peragenda. In quinto prouincię Secretarius. In ſexto prouinciæ Viſitatores. In ſeptimo ij procuratores, qui ad generale capitulum, nomine prouinciæ, conuenire debebunt. Sexto loco procurator prouinciæ ſi adeſt. d.7. R.n.2.

5. Denique gubernatio localis per ſuos etiam gradus diſtinguetur; & in primo quidem locale capitulum ad aliquarum rerum directionem cogendum ſtatuetur. In ſecundo Præpoſitus localis, qui ſua auctoritate ſubditos eius loci immediatè reget. In tertio Vicarius, qui iuxta ſibi traditam à Præpoſito facultatem regiminis executioni incumbet. In quarto præſes localis, qui in abſentia Præpoſiti, & Vicarij, gubernationis oneri ſuccedet. In quinto domus conſultores, qui Præpoſito aſſiſtant, eumque conſilio adiuuent. In ſexto conſultatio, quæ ab eodem Præpoſito cum ipſis conſultoribus peragetur. In ſeptimo gubernationis localis ſecretarius. In octauo procurator electus, qui prouinciale capitulum, nomine domus, adibit. In nono tandem (vbi nouitiatus coniunctus erit) nouitiorum magiſter. d.3. c.g. 19. d.3. c.g. 19.

CAPVT VII.

De perſonarum promotione ad gubernationem in vniuerſum.

1. DEſignata iam gubernationis varietate, ſequitur, vt perſonarum ad eam, promotionem diſponamus: nec enim gubernandi iura in deſignatis gradibus indiſcriminatim omnibus competent; ſed omnino delectus habendus, & quis, quoque modo debeat ad ea aſſumi, ſerio prouidendum.

2. Et ea propter cautè procedentes, perſonarum qualitates in ipſa promotione requiſitas; impedimenta, quæ poſſunt eidem obſtare; & promotionis modum diſponemus.

CAPVT VIII.

De qualitatibus, quæ in perſonis requiruntur, vt ad gubernationem promoueantur: vbi de iure ſuffragij.

1. COmmunis, & præcipua qualitas in omnibus, & ſingulis ad quemlibet gubernationis gradum promouendis, omnino neceſſario requiſita, ius erit ſuffragij, ſeu vt communiter vocant; vox in capitulo, quæ totius regiminis velut forma exiſtet.

2. Duplex autem erit; conſultiua, & deciſiua: conſultiuam illam ſtatuimus, qua quis ad ſolummodo conſulendum admittitur; ſic tamẽ, vt vim hac voce non habeat aliquid decernendi: & ea propter liberum Superiori ſemper erit, eius audito conſilio, agere quod voluerit: niſi forte in caſu aliquo expreſſo, in quo vocales conſultiui ſubirent vices deciſiui. Infra c. 31. n. 3. & c. 35. n. 5.

3. Deciſiua proinde vox erit illa, qua quis non ſolum conſulere, ſed etiam rem decidere, ac diffinire ſuffragiumque ferre valebit: adeo vt, quod ex maiori ſaltem parte huiuſmodi ius habentium concluſum fuerit, exequtioni mandari debeat, nec Superiori libera relinquetur contrariũ faciendi poteſtas: niſi in caſibus, in quibus ea vota adhibere non teneretur. Sed & proinde d. 43. R. n. 2.

de volumus, vt non ſolum ex vi huius deciſiuæ vocis quis rem decidere, & definire valeat, ſed etiam ad quoſuis gradus eligi poſſit; omnino enim in deciſiua voce intimè includetur, & permixtum erit non ſolum actiuum, ſed & pariter ius paſſiuum. d.16. R. n.1. & 2. & d. 17. n.2.& infra c.17. n.14.

4. Iam verò ſtatuimus, vt ad voces iſtas nullo prorſus modo, qui ſacerdos non fuerit, admittatur; omnino enim ij ſolummodo capitulares erunt, qui ſacerdōtio funguntur. Sed neque inſuper ſinguli ſacerdotes promiſcuè huiuſmodi ſuffragij iura habebunt; neceſſarium namque erit, vt vel electione admittantur, vel ſucceſſione ſuo tempore ea conſequantur, vt mox infra diſponemus. Ergo ad noſtra iura ſuffragij, duplici via, patebit aditus; primo via ſucceſſionis; ſecundo via electionis.

5. Quod ad ſucceſſionem attinet, ſic ea procedat, vt ſtatim ac noſtrum quis ſacerdos fuerit, & octo poſt profeſſionem annos expleuerit, facultatem ſuffragij conſultiui ipſo iure habere intelligatur: niſi fortè crimen apoſtaſiæ commiſerit; vel ſchiſma aliquod contra pacem Religionis tentauerit; vel quidpiam contra quatuor [noſtra vota eſſentialia, aut cum ſcandalo publico patrarit, aut illud perpetraſſe per ſentētiam conſtiterit; vel denique profeſſus ad aliam Religionem ſe contulerit, & deinde ad noſtram redierit; hæc enim omnia, & ſingula impedimenta erunt, ne quis vocem conſultiuam ſucceſſione conſequatur.

6. Proinde ad vocem deciſiuam ſic dabitur ſucceſſio, vt ſimul ac ſacerdos quis decimum ſextum, à die profeſſionis emiſſæ, annum expleuerit, eam ſtatim ipſo iure conſequatur, dummodo has conditiones habeat: quarum prima ſit, vt theologiæ, ſiue canonum, aut per biennium caſuum conſcientię ſtudia ſub præceptore abſoluerit; ſecunda vt ſecularium confeſſor, aut publicus concionator, vel etiam lector exiſtat; tertia, vt aliquo ex prędictis impedimentis, quæ ſucceſſioni ad conſultiuum ius obſtacula prębent, detentus non ſit: alioquin ſi omnes, vel ſaltem vna ex his conditionibus deſit, inhabilis omnino erit, vt ius iſtud deciſiui ſuffragij ſucceſſione conſequatur. Verumtamē ſexdecim, vel octo annorum ſpatia neque etiam capitulo generali pro quouis ſacerdote, ſine iuſta cauſa, prorogare licebit. d.17. R. n. 1.

7. Cæterum, vt omnis vel minima ambitionis ſuſpicio deuitetur, ſtatuimus, vt qui ad huiuſmodi iura per ſucceſſionem admitti debent, non ex ſe ipſis illa ſibi competere aſſeuerent, ſed expectent, vt, à Superiore vocati, capitulares eſſe denuncientur. Volumus tamen, vt in omni congregatione, quæ de bono regi- Vt infra c.36.n.2

T mine

mine in menſes ſingulos habebitur, diſcutiatur diligenter quiſnam ſacerdos eius domus, & quandonam ſuum tempus expleat, vt ad hæc iura ſuccedat. Caueatque Superior ne aliquo modo, requiſitis conditionibus exiſtentibus, præſtituta cuique tempora prorogare attentet; ſed per duos circiter menſes, antequam expleta fuerint, locale capitulum conuocet; ſimulque videant, an requiſitas habeat qualitates, qui ſuccedere debet; & an forte in eo impedimenta obſtent; ac de omnibus Prouincialem admoneat. Qui certior factus, exiſtentibus qualitatibus, & impedimentis non obſtantibus, vltra menſem nullatenus ſucceſſionē poterit prorogare. Quod ſi prorogandi aliqua iuſta occaſio adſit, Aſſiſtentium vota adhibeat.

8. Iam verò ad viam electionis transeamus, per quam licebit capitulo generali, etiam ante octo à profeſſione annos, quando vel inſignia ſacerdotis merita, vel congregationis neceſſitas, aliaue grauis cauſa id poſtulabit, vtriuſque vocis ſuffragium alicui conferre: ſed quomodo in huiuſmodi electione procedat, infra ſuo loco dicemus. Hanc tamen eligendi facultatem, excepto capitulo generali, nemo alius habeat; niſi dumtaxat cum alicuius prouinciæ capitulares deciſiui vel morte, vel alia cauſa defecerint: tunc enim poterit prouinciale capitulum, ante peractum decimum ſextum profeſſionis annum, ad ius deciſiuum ſacerdotem eligere; oportebit nihilominus, vt ij, quos ad ius deciſiuum fuerit viſum aſſumere, conſultiui ſuffragij iam ante ius habuerint; atque electionem huiuſmodi factam à capitulo prouinciali Præpoſitus Generalis, ſuique Aſſiſtentes confirmauerint: ſed verò antequam electio confirmata fuerit, nullo modo publicetur, neue cuique patefiat, niſi ſoli Generali, ſuiſque Aſſiſtentibus.

d. 16. R. n. 1. & 2. & 17. n. 2 infra c. 17. n. 16.

9. Proinde in capitularibus eligendis ſpectentur probitas, prudentia, eruditio, & in rebus gerendis dexteritas. Excludantur autem, qui nondum ſunt ſacerdotes, & confeſſarij ſecularium, aut publici concionatores, vel lectores.

10. Sed & ſacerdos, qui electione fuerit ad ius deciſiuum, ſiue à capitulo generali, ſiue à prouinciali, ante tranſactum decimum ſextum annum, admiſſus, ſuffragium cum cæteris vocalibus ferre, atque ſententiam ſuam prius dicere non valebit, quam ei facultas à Patre Generali in ſcriptis fiat, quæ vltra quartum à dimiſſione capituli menſem, abſque voto, & conſenſu Aſſiſtentium, non poterit ab ipſo Generali differri.

11. Vltimo vero de cuiuſlibet vocis conſequutione, ſiue per

per ſucceſſionem, ſiue per electionem volumus; vt qui fuerit ad eam admiſſus, antequam primo ſuffragium ferre incipiat; iureiurando ſe obſtringere teneatur, nihil ſe de ijs, quæ in capitulo acta, dictaque fuerint, vlla vnquam ratione detecturum, in hanc formam. Ego NN. promitto, & iureiurando affirmo me numquam ſententiam, ſuffragium, aut rem aliquam in capitulo, ſiue locali, ſiue prouinciali, ſiue generali tractandam, & à me quouis modo illic audiendam, verbo, aut ſigno, alicui perſonæ, extra capitulum, prolaturum, quod cuiquam præiudicium facere, vel diſſenſionem inter noſtros religioſos, vel alios quoſcumque parere poſſit: & præterea omne id, quod Superior ſecreto tegendum iniunxerit, ſimiliter me celaturum promitto, & iuro; quod ſi formulam hanc meæ promiſſionis, & iuramenti violauero, tum periurij reum, tum etiam peccati mortalis pœna obnoxium me fore decerno, & volo. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta euangelia. Proinde in libro peculiari ſcribere oportebit, quis, quo menſe, quo die ad quodlibet ius ſiue per ſucceſſionem, ſiue per electionem fuit admiſſus. d. 14. R. n. 3.

12. Sed denique, quod attinet ad iuris ſuffragij durationem, volumus, vt ſemel habitum ſemper perduret, nec vlla vnquam ratione ceſſabit, niſi per ipſiuſmet iuris renunciationem, quæ ſolummodo à generali capitulo poterit acceptari, & nullo modo ab alijs. Deſinere etiam poteſt per priuationem, ſeu depoſitionem: ſed priuandi facultas, extra tempus capituli prouincialis, penes Prouincialem, eiuſque Aſſiſtentes erit. Cauſæ autem priuationis, & modus priuandi eædem ſint, quæ pro depoſitione à gubernationis gradibus infra diſponemus; & ſimiliter ſufficiens cauſa erit, ſi quid ſub pœna priuationis vocis vel prohibitum agat, vel præceptum quis tranſgrediatur. Declaramus autem, quod qui priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ incurrit, omnimodo etiam conſultiua, & deciſiua priuatus exiſtit: quandoquidem vtraque hæc ſub actiua includitur, eamque ſimul diuidit, vt partes eius. c. 15. n. 9. & 10. & 11.

13. Sed iam præſcriptis omnibus, quæ ad ius ſuffragij ſpectare videntur; decernimus tandem, vt qui ad quemlibet gubernationis gradum ex iam diſpoſitis, capite ſexto præcedenti, eſt deſtinandus, omnino & neceſſario ius iſtud habeat, & capitularis exiſtat: alioquin incapax prorſus erit; vt ad eos gradus, vel ad eorum aliquem aſſumatur; excipimus tamen capitulum illud locale, in quo eligetur is, qui ad prouinciale capitulum, nomi- d. 16. & 17 R. d. 3. c. 8. 19.

ne domus mittendus erit: illud enim ingredientur, & ius ſuffragij, ad actiuum dumtaxat habebunt ſacerdotes omnes, etiamſi capitulares non ſint.

14. Proinde neque ſufficiet qualiſcumque vox, vt in ſingulis gubernationis gradibus quis locetur: volumus enim, vt excepto capitulo locali, quod ingredientur etiam ij, qui conſultiuam tantum habēt, & excepto etiam ſecretario locali; & vbi coniunctus nouitiatus erit, nouitiorum magiſtro, qui ex eorumdem conſultiuorum numero eligi poterunt; omnes alij, qui à quouis gradu ex præſcriptis conſtituentur, deciſiuum ſuffragium neceſſario habeant; nec vllo modo, ſi eo careant, ad eos gradus aſſumantur: id quod indiſpenſabile prorſus erit. Atque hactenus de prima, & communi qualitate, quam in perſonis aſſumendis expoſcimus; modo aliæ peculiares ſubiungendæ eſſent, quæ, pro aſſumptione ad ſingulos gradus in ſpecie, requiruntur; verum id infra præſtabitur, cum de ipſis ſingulis gradibus agemus: & ſufficiat hoc loco dixiſſe, vt, cum promouendus quis erit, diligēter in eo illæ qualitates penſentur; atque in electionibus, coram electoribus, à ſecretario legantur: vt, quoad eius fieri poterit, idonei ſemper, & apti gubernationi deſtinentur.

d. 22. R. n. 2.

CAPVT IX.

De impedimentis, quæ perſonarum promotioni ad gubernationem obſtabunt.

PLura ſunt, quæ, ad noſtræ Religionis gubernacula, promotionem impedient.

1. Primo defectus communis qualitatis, quæ in iure ſuffragij conſiſtit, eo modo, quo præcedenti capitulo eſt præſcriptum.

2. Secundo carentia peculiarium qualitatum, quæ in ſingulis aſſumendis neceſſariæ erunt: quamuis eæ diſcretionis iudicio ſint librandæ.

3. Tertio quilibet gubernationis gradus impedimentū etiam erit, ne eodem tempore ad alium quis poſſit aſſumi: in vna enim, & eadem perſona officiorum multiplicatio prorſus vitanda: quandoquidem ea ſimul permixta ſuo ſibi onere obſtant, totumque confundunt; & ideo hos obices auferentes decernimus, vt

nemo

nemo proſsus, qui in aliquo gubernationis generalis gradu ſit locatus, ad alium gubernationis prouincialis, vel localis eodem tempore deputetur; & è contra, qui in locali ſuum munus exercet, nullo modo ad prouincialia, vel generalia officia eodem tempore ſubeunda aſſumatur: ſed omnino in diſtinctis gubernationis generibus diſtinctæ perſonæ collocentur. Sed & inſuper in vno gubernationis genere, ad duo officia eodem tempore obeunda, eamdem perſonam nequaquam deſtinare licebit: ac proinde, qui Aſſiſtens eſt, Procurator generalis, vel Secretarius generalis eſſe nequit; & è contra. Idemque ſit dictum de officialibus gubernationis prouincialis, & localis: & ſolum excipimus in gubernatione locali officia vicarij, & conſultoris, quæ poterunt ſimul in eadem perſona ſubſidere: & ſimiliter ſecretarij munus, qui conſultor erit, exercere valebit. d. 12. R. n. 1.

4. Iam vero quarto loco, ſi quis per ſe, vel per alium ambitioſè curauerit ad aliquem gradum aſſumi: volumus enim, vt in pœnam ſuæ prauæ ambitionis, ambitione ipſa multetur; & per quæ peccauit, per ea & puniatur. Ac proinde nullo modo gubernationi poterit deputari: ſed potius relinquendus, vt deiectione, humilitatis virtutem exercere ediſcat.

5. Quinto erit crimen hæreſis, vel apoſtaſiæ, aut ſchiſmatis contra pacem Religionis; aut denique aliud contra quoduis ex quatuor noſtris votis ſubſtantialibus, vel cum ſcandalo publico perpetratum, vel etiam per ſententiam declaratum: hæc enim omnia, & ſingula, ſi contra quempiam legitimè conſtent, obſtacula eſſe volumus, ne is in aliquo regiminis gradu collocetur. d. 42. R. n. 1.

6. Sexto, qui ſemel ab aliquo ex his gradibus fuerit ob crimen depoſitus, talis depoſitio impedimento etiam erit, ne is iterum ad quodlibet regiminis onus aſſumatur; vſque dum à generali capitulo habilis denuo reddatur.

7. Septimo demum diuturna quædam corporis ægritudo, qua debilis quis ad gubernationis officia ſic redditur impar, vt eis ſatisfacere, vel nullo modo, vel ſaltem difficile poſſit, obſtaculum erit, ne ad ea exercenda deputetur.

CAPVT X.

De varijs modis perſonas ad gubernationem promouendi, qui ſunt electio, deputatio, & ſucceſſio.

1. TRiplici modo ad noſtræ gubernationis gradus perſonæ admittentur. Primo electione per ſuffragia plurium; ſecundo deputatione ad libitum vnius; tertio denique ſucceſſione, ipſo facto; non tamen omnes vno ex his modis ad libitum poterunt promoueri, ſed neceſſario alij per electionem, alij per deputationem, & alij per ſucceſſionem, prout mox infra diſponemus.

2. Et à primo modo incipientes, qui eſt electio, ſtatuimus quoad perſonas eligendas, vt hæ per eam aſſumantur; videlicet, in gubernatione generali, officiales omnes capituli generalis,
d. 10. R. n. 1. & 2. item Præpoſitus generalis, eius Aſſiſtentes, Secretarius, & Procurator generalis. In gubernatione prouinciali officiales omnes capituli; Prouincialis, Aſſiſtentes, Secretarius, Viſitatores, ac Procuratores prouinciæ ad generale capitulum deſtinandi. In gubernatione locali, Præpoſitus, Conſultores, Secretarius,
d. 3. c. g. 19. Procurator ille domus, qui eius nomine prouinciale capitulum adibit; ac denique, in coniunctis nouitiatibus, nouitiorum magiſter.

3. Iam vero paſſiuum ſuffragium, vt quis electione poſſit
d. 16. & 17 R. & d. 22. R. n. 2. aſſumi, ij tantum habeant, qui deciſiui capitulares erunt, excepto locali ſecretario, &, in coniunctis nouitiatibus, nouitiorum magiſtro. Hi enim, vt capite octauo decreuimus, conſultiui poterunt eſſe. Quod autem ſpectat ad electores, illud primo mandamus, vt nemo, qui capitularis deciſiuæ vocis non exiſtit, actiuum
d. 3. ſupra citatum. ſuffragium in electionibus habeat. Excipimus electionē procuratoris ad capitulum prouinciale mittendi, in qua etiam ſacerdotes non capitulares ſuffragium dabunt. Proinde nemini, qui ab-
d. 10. R. n. 6. & 7. & infra c. 17. n. 5. & c. 24. n. 4. ſens ſit ſiue ſcripto, ſiue per procuratorem, aut quouis alio modo, actiuum ſuffragium in alicuius electione ferre licebit; ſed omnino electores præſentes volumus. Illud tamen cauendum, ne qui electores ad alicuius electionē deſignantur, aliquo eorum non præſente, electio fiat: quod ſi quis deſit, volumus, vt alter in eius locum ſubrogetur, quamuis non ſemper hæc ſubrogatio
d. 13. R. n. 2. ne-

neceſſaria erit. Et ideo in vniuerſum ſtatuimus, vt ſi in capitulo ſiue generali, ſiue prouinciali, ſiue locali electio peragatur; vno, vel pluribus ex deputatis capitularibus deficientibus, nequaquam ſubrogatio fiat, & electio illa valida, ac firma erit: dummodo capitulum fuerit, præcedente intimatione, loco, & tempore deſignato coactum. In diffinitorio tamen ſiue capituli generalis, ſiue prouincialis, omnino, quouis electore deficiente alterius ſubrogatione, illius locus ſuppleatur ab ipſiſmet capituli patribus. In electionibus item ab ipſo Generali cum Aſſiſtentibus peragendis, ſi quis Aſſiſtens deerit, ipſo facto, ſubrogatus intelligatur Procurator generalis; & in alterius etiam Aſſiſtentis locum Secretarius generalis. Similiter in electionibus, quæ à Prouinciali cum Aſſiſtentibus fient in locum Aſſiſtentis, qui deerit, ſubrogetur ipſo iure prouinciæ ſecretarius; & ſi quis etiam alius deerit, primus conſultor domus reſidentiæ prouincialis. Denique ſi quam fortè electionem à Præpoſito cum conſultoribus fieri continget; deficientis conſultoris locum capitularis alter deciſiuus antiquitate primus ei domui aſſignatus ſubintret. Cæterum ſi quæ electio, ſine huiuſmodi ſubrogatione ſiue in definitorio, ſiue in conſultatione qualibet peragetur, ipſa electio inualida ſit, & nulla. Verum ne aliquis ex deſignatis electoribus poſſit deeſſe, antequam ad actum electionis deueniatur, præcedat intimatio, & locus, ac tempus deſignentur.

d.7.R.n. 1.2.& 3.

Infra cap. 13. n. 4. & c.20.n.3. & c. 27. n.2. dec. ſup. cit.n.3.

4. Sed iam numerus ſuffragiorum in qualibet electione neceſſarius, vt quis legitimè eligatur, ſemper debet eſſe maior, comparatione omnium, qui ſuffragia ferent: ita vt ſi electores ſint decem, neceſſario ſex ſuffragia concurrere debeant, nec vllo minore numero legitimè conſtabit electio.

d.25. R. n.3.& 2. d.11.n.1.

5. Porro, quod attinet ad qualitatem ſuffragiorum, ea quidem ſemper in quauis electione ſecreta ſint, numquam vero publica; decernentes, vt quæ electio per publica fiet, irrita ipſo facto reddatur. Sed & volumus etiam, vt electores neque ſecreto inter ſe, quæ ſuffragia dabunt, oſtendant.

d.25. ſupra citatum n.3.

6. Adhæc circa ordinem in electione, ac rationem procedendi ſancimus, vt ante omnia electio electoribus intimetur, eiſque tempus præſignetur, ac locus etiam deputetur; in quo menſa, & ſupra eam Crucifixi imago & ſimul etiam vrnæ ſtatuantur; tùm electoribus, congregatis leguntur à ſecretario publicè coram omnibus eæ qualitates, quas expoſcimus in eo, qui eligendus erit, ac etiam impedimenta, quæ obſtant, præcedenti capite definita,

mox

mox tres ſacerdotes, qui in electione paſſiuam vocem non habeant, vel etiam tres clerici bene inſtructi ab electoribus deputentur, qui ſcrutatorum munere fungentes, ſuffragia recipient, numerent, & electionem vel factam, vel non factam denuncient: volumus enim, vt nullo modo ſecreta ſuffragia ab ipſiſmet electoribus videri, numerari, aut legi aliqua ratione poſſint, ſed tantum ab ipſis ſcrutatoribus. Cæterum hoc ſcrutatoris officium vagum erit, non determinatum; ita vt quoties aliqua facienda eſt electio, toties ab electoribus ſcrutatores deputentur: qui proinde ad electionis locum vocati, iureiurando ſe obſtingant, ſucceſſiuè vnus poſt alium, in hæc verba. *Ego NN. teſtem inuoco Deum, quod ſuffragiorum numerum fideliter enunciabo; cuius agnoſcam manum, alteri non patefaciam; & ſine dolo hoc mihi iniunctum ſcrutatoris munus obibo. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta euangelia.* Sed & inſuper, peracto iuramento, maxima ipſis proponatur pœna, ſi quod ſecreto ſeruandum, alijs quoquo modo indicare non vereantur.

7. Et poſt hæc omnia, electionis actus conſequatur, hac ratione, vt non plures ſimul eodem ſcrutinio eligantur, ſed ſigillatim vnus poſt alium; etiam ſi eiuſdem gradus perſonæ, vt puta definitores, conſultores, & id genus aliæ eligi debeant. Proinde in ſilentio elector quiſque manu propria in ſchedula ſecreto ſcribat nomen, & cognomen eius, quem electum velit, & ſuimet, qui eligit, in hunc modum. *Ego NN. eligo in Præpoſitum Generalem,*
d. 11. R. n. 1. *vel Prouincialem NN.* Poſtea ſchedulam complicet: tum ordinate, antiquitatis vice ſeruata, ad vrnam ſinguli accedentes, ante imaginem Crucifixi, complicatam ſchedulam duobus quiſque digitis attollens, in eam vrnam inijciat, & ad ſuum ſe locum recipiat. Mox, datis ſuffragijs, ſcrutatores vrnam accipientes ipſi
d. 11. R. ſoli in loco remoto, in quo ſuffragia ab electoribus nec videri,
n. 2. nec ſubmiſſa voce lecta audiri poſſint, eam aperiant, ſchedulas effundant, numerent, explicent, ſubmiſſa voce legant: ſi maior pars in cuiuſque electionem conſentiat, iubente eo, qui præeſt, quis ſit, pronuncient; ſin autem, ſchedulas ſtatim ibidem comburant, & ad ſecundum ſcrutinium eodem modo electores procedant; & ſimiliter ad tertium, donec maior pars ſuffragiorum in aliquem conſenſerint; ſemper tamen ſchedulæ in eodem loco igni tradantur.

8. Si vero nec tertia vice agitata ſuffragia electionem perficient, inſpiciant ſcrutatores, quiſnam ex patribus, hac tertia vice

vice plura, quam cęteri, ſuffragia habuerit; quod ſi multi ſint, qui ſuffragia totidem, vel fere totidem habuerint, videlicet ſi in duas, aut tres partes ſeptena ſuffragia concurrerint; vel ſi vnus octo; in duos verò alios ſeptena ſuffragia fuerint collocata, hi ſoli eligibiles erunt: cœterorum autem nemo: etiam ſi quis ex cœteris ad eum numerum proximè, ſed tertio acceſſerit; vt pote ſi duo ſint, quorum alter habeat octo ſuffragia, alter ſeptem, hi duo eligi poterunt; alias enim, ſi quis adſit, qui ſex ſuffragia habuerit, eligi nullo modo queat: omnino igitur hîc ratio habeatur de his ſolis, qui duos numeros ſuffragiorum maximos habuerint. Cœteri omnes, qui in alterum horum numerorum maximorum non ingrediuntur, eijciantur. Quod ſi neque horum paucorum aliquis eligetur prima vice, tunc creentur, ſecretis etiam ſuffragijs, tres compromiſſarij, in quos ius omne eligendi conferatur, & is legitimè electus habeatur, quē duo cōpromiſſarij electum velint ex iis ſolis, qui maximum numerum ſuffragiorū, vt ſupradictum eſt, habuerunt: illi tamen, qui maximum hunc numerum ſuffragiorum habuerunt, vocem actiuam, & paſſiuam in electione compromiſſariorum non habeant. Denique peracta electione, ſchedulæ omnes à ſcrutatoribus comburantur ibidem, & ſtatim à ſecretario decretum electionis conficiatur in hanc formam. *In legitima congregatione die N. menſis N. anni N. habita in domo N. legitimè fuit electus in Præpoſitum localem, vel in Prouincialem NN.* Atque hęc de primo modo perſonas ad gubernationem aſſumendi, qui eſt per electionem. Modo reliqui ſubiungentur. d. 11. R: n: 1.

9. Inter quos ſecundus erit per deputationem ad libitum vnius, qua quidem aſſumentur Vicepræpoſitus in domo reſidentiæ Generalis, ad libitum ipſiuſmet Generalis; Vicepræpoſitus prouincialis, ad libitum Prouincialis; & vicarius domus, ad libitum Superioris localis. Proinde hæc deputatio ſic procedat, vt in eo, qui deputari debet, qualitates requiſitæ exiſtant, eique impedimenta non obſtent. Cœterum tam Generalis in capitulo generali, quam Prouincialis in capitulo prouinciali Vicepræpoſitum quiſque ſuum ne deputet, niſi poſt electiones in capitulo, & in definitorio factas. Supra c. 8. & 9.

10. Sed vlterius tertius modus ſucceſſione conſtabit, per quam hi ſolummodo aſſumentur, ſcilicet primus Generalis Aſſiſtens, qui, vbi Generalis aliqua ratione ob officio deſierit, in eius locum ipſo iure ſuccedet; primus etiam Prouincialis Aſſiſtens in locum Prouincialis, cum hic ſiue per mortem, ſiue alio d. 1. R. n. 6. & 9. d. 5. R. n. 7. 8. 9. & 10.

modo à ſuo munere deficiet; primus etiam capitularis deciſiui ſuffragij in locum Præpoſiti, & vicarij, cum eos ad paucos dies domo extra vrbem abeſſe continget.

d. 19. R. n. 4. & 5. & infra c. 34. n. 1.

CAPVT XI.

De actuali gubernationis exercitio à perſonis iam promotis habendo.

1. POſtquam perſonæ ad regimen ſunt promotæ, neceſſe eſt, vt actuali eius exercitio enixè incumbant: debent enim ſingulæ, in quouis gradu conſtitutę, propria munia, operę ipſo complere; & vtilitati communi ſic ſimul vnamini conſenſu intendere, vt Religionis molem, æquis viribus portent.

2. Proinde vero expoſcit præcipuè actuale iſtud regiminis exercitium, vt perſonarum authoritatem, quæ in eo prærequiritur, deſignemus; actus etiam in eo peragendos, ac varia media, aſſumenda, diſponamus.

CAPVT XII.

De perſonarum authoritate, quæ ad gubernationis exercitium prærequiritur.

1. TOtius regiminis, velut anima vim actionibus ſubminiſtrans, authoritas eſt gubernantium. Cuius quidem vim præcipuè in iuriſdictione locamus; qua ſcilicet ſubditi ſub commune obedientiæ iugum redigantur, & ad legum obſeruationem promoueantur.

2. Quæ proinde triplex erit; generalis, prouincialis, & localis: generalis in primis capitulo generali, eiuſque præſidi inerit; ſecundo extra tempus capituli, Præpoſito Generali, qui totius Religionis caput erit; ac etiam tertio conſultationi, quam ipſe Præpoſitus Generalis cum Aſſiſtentibus inſtituet: nec vllo modo eam habebunt aſſiſtentes, ſecretarius, vel procurator; quin potius ſubditi ſemper erunt, & in alios religioſos regiminis iura nullatenus exercere valebunt.

d. 7. R. n. 4.

3. Authoritas verò prouincialis eadem proportione penes ca-

capitulum prouinciale, eiuſque præſidem ſubſidebit: ſecundo extra illud tempus, penes Præpoſitum Prouincialem, qui caput erit prouinciæ; tertio penes conſultationem, quæ ab eo cum Aſſiſtentibus peragetur: ipſis verò Aſſiſtentibus, ſicut & Secretario nullum authoritatis ius in alios competet. Quod tamen quarto loco viſitatoribus, viſitationis tempore, in eos, quos viſitabunt, inerit.

4. Denique localis authoritas primo quidem Præpoſito domus competet, qui eiuſdem Superior erit; ſecundo capitulo locali, quod certis temporibus cogetur; tertio conſultationi, quam ipſe cum conſultoribus habebit; quarto magiſtro nouitiorum in ipſos nouitios; quinto demũ, ex commiſſione, ipſi etiam vicario domus poteſt ineſſe: ſed nullo modo aliȷs quibuſque capitularibus, vel conſultoribus, aut ſecretario, qui ſemper ſubditi permanebunt, & nihil in alios poteſtatis habebunt.

5. Iam verò triplicis authoritatis ſic præſcriptæ qualitas, etſi in ſpecie pro quouis gradu præſcribenda nobis ſit, cum infra de ſingulis ipſis agemus; hic tamen ſat erit in communi dixiſſe, authoritatem generalem amplam eſſe in omnes vbique prouincias, & domos, ac religioſos quoſcumque totius noſtræ Religionis; independentem etiam à quauis alia eiuſdem noſtræ Religionis poteſtate, præterquam ab ipſis legibus noſtris; plenam denique, & abſolutam, quæ maior inter nos inſtitui poteſt: prouincialis vero authoritas ordinata ſemper erit, & dependens à generali; nec in alios ſe extendet, quam in domos, & perſonas deſignatæ ſibi prouinciæ: localis denique intra limites vnius ſibi commiſſæ domus arctabitur, & à prouinciali, & ſimul etiam à generali dependebit. Sed proinde ordo inter eas ſic diſponetur, vt mutuo ſibi correſpondeant, & bono Religionis ea conſenſione proſpiciant, vt tamquam in pluribus luminibus vnus dominetur aſpectus, & concordem ſenſum nemo credat diuiſum.

CAPVT XIII.

De actibus, qui à perſonis in gubernationis exercitio peragentur.

1. REgiminis conſtituta poteſtas ad ſuos actus redigatur oportet, quibus tota gubernandi ratio perficitur, & completur; ſed quos in particulari ſingulæ perſonæ in ſingulis gradibus præſtare debebunt, infra trademus, cum eorum munia ſigillatim præſcribemus; nunc tantum, quæ ad eos in communi ſpectare poſſunt diſponentes, eorum in primis tres ordines deſignamus.

2, Et in primo quidem ordine conſtituimus eos, qui à pluribus ſimul vnitis in capitulo ſiue generali, ſiue prouinciali, ſiue locali peragentur. In ſecundo eos, qui extra tempus capituli, à Generali, vel Prouinciali cum ſuis Aſſiſtentibus; & à Superiore locali cum conſultoribus fient. In tertio demum eos, quos ſinguli Superiores, ſine aliorum voto, efficient.

3. De primo autem, & ſecundò ordine ſtatuimus, vt nullo modo eorum diſpoſitio confundatur: ac proinde qui actus ad capitula ſpectant, ij à quibuſcũque alijs ne fiant: ſimiliter, qui ad Generalem, vel Prouincialem cum Aſſiſtentibus, & ad Superiorem localem cum conſultoribus, ij à ſingulis ipſis nequaquam peragantur. Decernentes, quod, ſi aliter tam primi, quam ſecundi ordinis fiant, irriti ipſo facto, & nulli reddantur. Qui au-
d.41. R. n, 2 tem ſint huiuſmodi actus, qui ad hos plures attinent, ſuis quique locis ſingillatim, iuxta rerum exigentiam, ſunt hucuſque præſcripti, & infra, prout occaſio poſtulabit, conſcribentur.

4. Iam vero ſiue primi ſint, ſiue ſecundi ordinis, vel ad electiones rediguntur, vel ad rerum deciſiones: ſed, qualeſcumque erunt, volumus, vt perſonæ ad ſuffragium ferendum, vel ſententiam dicendam deſtinatæ ſingulæ concurrant: nec aliquis abeſſe, ſine iuſta cauſa, poſſit: alioquin qui præſens in domo, & vocatus
d. 13. R. n.1.& 2. intereſſe ſine cauſa nolit, grauiter puniatur, arbitrio eorumdem, cum quibus ipſe in eo capituli, vel conſultationis actu conuenire debebat. Declarantes ex nunc pro tunc, vt qui actus in alicuius abſentia ad eum conueniendi ius habentis fiet, ex quacumque cauſa hæc abſentia proueniat, ſemper validus firmus, & ratus habeatur.

beatur. Cœterum, in actu electionis, eius abſentia per alterius ſubrogationem ſupplenda neceſſario erit, eo modo, quem iam ſupra cap. 10. definitum tradidimus. Quæ tamen ſubrogatio in actibus primi ordinis, qui ſcilicet ad capitulum ſpectant, & in rerum deciſione conſiſtunt, neceſſaria non erit, niſi forte in caſibus, in quibus expreſsè decernetur. At vero in omnibus caſibus ſecundi ordinis, qui ſcilicet ad conſultationes attinent ſiue generalem, ſiue prouincialem, ſiue etiam localem; ſiue ſint actus in electione conſiſtentes, ſiue in rerum deciſione; ſemper vnius abſentia, ex quacumque cauſa proueniat, per alterius ſubrogationem ſupplenda erit, eo modo, quo ſuo loco diſponemus, cum de conſultationibus in ſpecie agemus: omnino enim volumus, vt quæuis conſultatio ſiue generalis, ſiue prouincialis, ſiue localis ex quinque perſonis, quæ ius ſuffragij ibi ferant, conſtet: alioquin legitimè congregata non cenſeatur.

Supra c. 10. n. 3.

d.7.R. n. 3.

5. Iam vero, quod ſpectat ad procedendi rationem tam in primi, quam in ſecundi ordinis actibus: in primis locus deputetur, in quo ſimul conueniant; præcedat intimatio, vt ſingulæ perſonæ, quæ concurrere debent, adeſſe poſſint: capitula autem per campanæ etiam pulſum conuocentur; deinde vero in actibus electionis illa procedendi ratio obſeruetur, quæ iam cap. 10. eſt præſcripta. In rerum autem deciſionibus dabitur ſimul rei propoſitio, diſcuſſio, & concluſio. Propoſitio à nemine, præterquam ab eo, qui præeſt, fieri poſſit; & ſi aliquid alicui proponendum occurrat, ad eum ipſum, qui præeſt, illud deferat, nec vllo modo ex ſe ipſo proponat. Cæterum propoſitio ipſa ſemper clara, & ſtricta eſſe debebit, vt extra eam vagari, cum temporis iactura, nemo poſſit,

d.7.R. n. 5.

6. Rei porro diſcuſſiò ſic procedat, vt ſi graue ſit, quod proponitur, antequam ſingulorum vota tribuantur, prius ſuper eo hinc inde diſcurratur; deinde vero ipſa vota excipiantur; ſed nihilominus, quacumque ratione ſuffragia dentur, vel ſententiæ dicantur, vt vitetur confuſio, ac verboſitas, ſemel tantum ſinguli dicant, neque quidpiam replicent: ſi tamen res aliqua magni ſit momenti, qui præeſt, iterum dicere petentibus cōcedat; ſed non niſi poſtquam omnes ſententiæ dictæ fuerint. Breuiter, ordinatè, diſtinctè, ac moderatè in loquendo quiſque ſe gerat; vitetur pugnacitas, vocis elatio, circuitus verborum; nemo ita loquatur, vt alterius contemptum eius oratio præ ſe ferat; nemo alium loquentem interpellet; nemo, qui poſterior dicit, tempus inutili-

ter,

ter, & cum tædio aliorum, in reſumendis, quæ prius alius dixe-rit, inſumat. Denique nihil fiat, vel dicatur, quod modeſtiæ non congruat, quod grauitati repugnet, quod charitati aduerſetur; nihil, quod oſtentationem, vel pompam innuat; nihil, quod minores clericos non deceat.

d. 25. R. n. 3.

7. Denique ad rei concluſionem ſufficiens, & neceſſarius ſuffragiorum numerus maior ſemper ſit, comparatione omnium, qui ſimul ibi congregati ea dederunt. Nec ſingulorum conſenſus exigitur; in quibuſdam tamen caſibus neceſſe etiam erit, vt ad duas, vel etiam ad tres partes res concludatur, de quibus ſpeciatim id expreſsè mandatur. Porro cuiuſque ſuffragium, etiam ipſius Generalis ſimplex vbique ſit. Si tamen per publica vota de re quapiam agatur, & ſententiarum hinc inde par fuerit numerus, id ratum erit, vbi Superioris votum aderit. Quod ſi per ſecreta ſuffragia agatur; & ea vel in pari numero fuerint, vel ad concludendum nequaquam ſufficientia; tunc tribus vicibus agitentur, & ſi in tertia vice nihil pro maiori parte concludatur, compromiſſione res abſoluenda erit.

Non habet amplius locum niſi in caſu decreti 25. R. n. 3.

d. 11. R. n. 1.

8. Ad hæc inſuper volumus, vt nihil proponi, vel diſcuti, aut etiam concludi poſſit, ſine ſecretario deputato; qui quidem in capitulis omnibus locali, prouinciali, & generali vnus erit ex illis ipſis, qui ibi congregati, ius ferendi ſuffragij habebunt: in conſultatione verò, quæ à Præpoſito Generali, vel Prouinciali cum Aſſiſtentibus inſtituetur, quidam alius erit, & ibi ſuffragium non habebit; præſens tamen omnino ſit. In conſultatione autem à Præpoſito cum conſultoribus habenda, eatenus ſuffragium habebit, quatenus conſultor etiam erit; quod ſi ex aliorum capitularium numero ſit, quamuis ei ius ibi ſuffragij non competat, præſens nihilominus aderit.

d. 7. R. n. 1. & 2.

9. Porro in quouis capitulo, vel conſultatione, quidquid proponetur, à ſecretario ſcribatur; ſuffragia, quæ dabuntur, diſtinctè ab eo adnotentur, & proferatur in fine, vel rem eſſe concluſam, vel adhuc indeciſam manere. Cum verò concluſione fuerit res abſoluta, ipſemet ſecretarius ſtatim eam ſcripto excipiat, & deinde coram ipſiſmet, qui ſuffragia dederunt, legat, eorumque ſingulorum ſubſcriptione, & eiuſdem etiam ſecretarij manu firmetur: ſi quis autem in eam concluſionẽ non conſenſerit, nihilominus ſententiæ, quæ maiori parti placuerit, ſubſcribere teneatur: capitulares tamen conſultiui in actibus capituli localis ſubſcriptionem non adhibeant, niſi in caſu, quo vices deci-

d. 14. R. n. 2. & d. 25. n. 3.

ſiui

ſiui ſubirent. Inſuper acta, & decreta, quæ in capitulis, & conſultationibus peragentur à ſecretario exarata, vim inter nos publici inſtrumẽti habere volumus,& hanc facultatẽ ipſis noſtris ſecretarijs attribuendam eſſe decernimus. Poſtremò pro qualibet gubernatione liber actuum habeatur, in quo ea decreta conſcribantur, quæ iiſdem Patribus, qui ea ſtatuent, ſcribenda viſa fuerint.

10. Sed verò ad plurimorum actuum firmitatem neceſſe etiam erit, vt ſigilli impreſſio adiungatur, qua ſemper ſcriptura maximo apud omnes robore præmunitur. Et idcirco, vt in hac etiam parte prouidæ diſpoſitioni deeſſe non videamur, volumus, vt quælibet gubernatio ſiue generalis, ſiue prouincialis, ſiue etiam localis, ſigilla habeat; ſic tamen, vt aliqua diſtinctione varientur: communicabunt quidem in præcipuo noſtræ Religionis inſigni, quod erit *Reſurgentis Chriſti* ſupra ſepulchrum *imago*, & ſimiliter in his literis, quæ ſubtus ſcribentur; *C.R.M.* Verùm in ſigillorum magnitudine, & in literis circum ea conſcribendis, diuerſitatem præferent: ſigillum nempe Generalis grandius erit cæteris: Prouincialis mediocre: Præpoſiti paruum. Et inſuper in ſigillo Generalis circumſcribentur hæc verba: *Præpoſitus Generalis*: in ſigillo Prouincialis; *Prouincialis Romanus*, vel, *Hiſpanus*, *Neapolitanus*, & ſic de ſingulis. In ſigillo denique Præpoſiti, *Domus N.* vel *Colleg. N.*

CAPVT XIV.

De varijs medijs ad actuale gubernationis exercitium aſſumendis.

1. VT ad arduum hoc gubernationis negotium diuina gratia perficiendum, perſonæ iam aſſumptæ recto tramite dirigantur; operę pretium eſt, vt ijs medijs, quæ modo præſcribemus, adiuuentur. Inter quæ primum erit impedimentorum, quæ poſſunt obſtare, remotio: & ideo caueant Superiores ne peragenda exterorum negotia ſuſcipiant, à quibus in regiminis curſu retardari quoquo modo poſſint. Aſſiſtentes etiam, Procurator generalis, Præpoſiti, & Vicarij domorum ad continuata quædam concionum curricula, vel ad lectoris officium ne deputentur, niſi neceſſitatis ratio aliter ſuadeat: lectoris tamen

munus nullo vnquam modo Præpoſiti, & Vicarij poſſint obire, niſi vbi grauiſſima vrgeret neceſſitas; & Prouincialis, eiuſque Aſſiſtentium conſenſus accederet.

2. Secundum medium eſt cognitio ſtatus Religionis, quæ ſanè velut oculus erit eorum, qui in gubernationis arce ſpeculatores locantur. Ad quam profectò maximè conferet literarum vltro, citroque miſſarum communicatio inter mediatos, & immediatos Superiores. Quare ſinguli domorum Præpoſiti ad ſuum Prouincialem de ſibi commiſſa familia referant, ſingulis ſemeſtribus; Prouinciales autem ad Generalem de tota prouincia; ſed maximè etiam ad hanc ipſam cognitionem proderunt viſitationes ſuo tempore peragendæ.

3. Et non minus etiam ſcripturarum archiuia obliuionis inimica, & humanorum actuum fidele teſtimonium, vetuſta cuſtodiunt, & actuali regimini lucem afferunt non paruam. Et
d.46. R. n.1. ideo in vnaquaque domo commune extabit ſcripturarum archiuium, clauibus obſeratum, quas duo Patres, videlicet ſecretarius, & alius capitularis à Præpoſito deputandus, ſinguli ſingulas habeant: horumque munus erit ſcripturarum omnium indicem conficere; & quid ab eo archiuio accipiatur, quidue in illud inferatur, diligenter adnotare. Eodem modo, pro gubernatione Prouinciali, commune aliud totius prouinciæ archiuium, in domo reſidentiæ Prouincialis, ſtatuetur. Et denique alterum generale apud Præpoſitum Generalem pro vniuerſali regimine. Et tam archiuij prouincialis, prouinciæ ſecretarius, quam Archiuij Generalis, eiuſdem generalis ſecretarius curam gerant; ſic tamen vt etiam vnus ex Aſſiſtentibus aliam clauem habeat. Verum cuiuſcumque archiuij claues nemini dentur, ſed ipſimet, qui eas ex munere habent ſemper præſentes ſint, cum inde aliquid depromendum, aut ibi videndum erit,

4. Quartum medium ſit diligens ſtudium conſtitutionum, & aliarum legum noſtrarum, ac etiam priuilegiorum à ſingulis Superioribus, Generali, Prouinciali, locali, & ab eorum Aſſiſtentibus, & conſultoribus peragendum, præſertim in principio adminiſtrationis eorum: vt ſic in promptu habeant, quæ obſeruanda, & executioni mandanda erunt. Et ideo nemo ſit ex ipſis, qui ſemel ſaltem in hebdomada aliquod temporis ſpatium in hoc ſtudio non inſumat; id ipſum faciant omnes alij capitulares. Sed vero vlterius Superiores omnes, Generalis, Prouincialis, & localis ſuum quilibet peculiarem habeat elenchum tum eorum,

quæ

quæ ex ſe facere poſſunt, tum in quibus aliorum vota adhibere tenentur. Sic enim facile gubernationis ordo ſeruabitur, & omnia in ſuis quaſi regionibus collocata ſtatim occurrent.

5. Quinto loco maximè conferet, ſi Superiores omnes, ſiue localis, ſiue Prouincialis, ſiue etiam Generalis, ſuum quilibet confeſſarium eligat, qui & ſe confitentem audiat, & errantem pro data ſibi authoritate moneat; ac proinde tum ſuarum actionum conſcium, tum officij monitorem habeat, eumque & ſubditorum voluntatis fidum interpretem libenter auſcultet: illum tamen ſibi quiſque eligat, qui actionibus ſuis, aliorum errata condemnet, & charitatem ac innocentiam ſua conuerſatione demonſtret. Hunc ergo ſubditi adire poterunt, ſi quando quidpiam Superiori ſignificare velint, nec tamen audeant.

6. Sextum medium in modo gubernandi conſiſtet, qui ſanè talis inſtituetur, vt ſuauitate & efficacia præſtet; efficacia quidem, ne debilis, & remiſſa gubernatio ad laxitatem declinet; ſuauitate vero, ne, indiſcreta duritie, aſpera, & grauis reddatur. Sed efficacia vlterius illud expoſcit, vt Superiores, & qui alij iuriſdictionem habent, non ſinant, vt ſubditi, libera quadam poteſtate, ea faciant, quę volunt; quæ nolunt, omittant: ſuauitas autem, vt in rebus concedendis, vel negandis, in erratis puniendis, in oneribus iniungendis, ſpiritum lenitatis ſemper præferant; obſeruantes præcipuè, quod D. Auguſtinus his verbis admonet; *Ipſe, qui præeſt, non ſe exiſtimet, poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente, fœlicem; honore coram ſubditis prælatus; timore, coram Deo, eorum pedibus ſubſtratus.* Hinc vero ſic ſe gerant, vt authoritatem prudentiæ coniungentes, & hominibus ſe præeſſe cogitantes, humanitatem potius exerceant monendo, quam iubendo ſeueritatem: caueant nihilominus ne, quadam indulgentia, ſubditos ad laxitatem ruere ſinant: & idcirco, cum opus erit, ſeueritatem adhibeant; ſine qua adminiſtrari congregatio nulla poteſt; ſic tamen, vt & perſonas diligant, & vitia perſequantur.

7. Et hæc plane ſeueritas ſeptimum medium erit, quo gubernatio dirigetur, vt qui virtutis amore tardè ducuntur, timore ſaltem pœnę à regularis diſciplinę violatione terreantur. Et eapropter operę pretium duximus hoc loco canonem pœnitentialem ſtatuere, ac pœnas quaſdam decernere, quæ in noſtrarum regularum, & laudabilium obſeruationum violatores poſſunt infligi, ſed non niſi ab ijs, qui iuriſdictionem habent.

8. Et ordinariè quidem has pœnas, & harum ſimiles Superior adhibebit;

1. Deoſculari cuiuſque fratris pedes.
2. Genibus flexis in refectorio medio conſiſtere:
3. Vel extenſis etiam in crucis formam brachijs, quouſque Superior ſurgendi ſignum fecerit.
4. Super menſam humi ſtratam, flexis genibus, in refectorio comedere.
5. Vel, ad ianuam domus, mendicum habere commenſalem.
6. Noſtros ſingulosè refectorio exeuntes, vt pro ſe orent, genuflexum orare.
7. Se noctu in eccleſia flagellis, vel funiculis cædere.
8. Solo pane, & aqua ieiunium ſoluere.
9. Cilicium ſuper nudum corpus induere.
10. Lances in coquina detergere.
11. In cubiculum aliquod, per aliquot dies, iuſſu Superioris detrudi, & id genus alia.

9. Caueant autem Superiores, ne ſordidum quid, quod nauſeam prouocet, quodque clericos dedeceat, iniungant; cæterum detruſionis pœnam in cubiculum ad plures, quàm a d octo dies Pater Generalis; & ad plures, quam ad ſex Prouincialis infligere non poſſit, ſine Aſſiſtentium voto; ſimiliter Præpoſitus ad plures quam ad tres non poterit, ſine conſultorum aſſenſu, vel capituli, vbi non adeſt conſultatio. d. 3. R. n 3.

10. Si autem (quod Deus auertat) grauiori pœna plectendus, ob aliquod patratum crimen, quiſpiam noſtrum videatur, Pater Generalis, vel Prouincialis certior quam primum fiat. Interim nihil pœnę irroget Superior, antequam reſponſum accipiat. His autem certis pœnis certæ quoſdam culpæ reos ſtatuimus puniendos, videlicet;

11. Primo qui à regulari correctione appellare auſus fuerit, eo ipſo incurrat in priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ: quod ſi ſuffragij ius nullum habeat, motus loco ſuo, poſtremus omnium profeſſorum collocetur. Regularis autem correctionis vocabulo has omnes ſupradictas huius canonis pœnitentialis numero octauo deſcriptas, & huiuſmodi cæteras pœnas comprehenſas eſſe intelligimus.

12. Secundo qui ad ſacros ordines, ad conciones habendas, ad confeſſiones audiendas, ad ius ſuffragij ferendi, vt pro-

promoueretur, aliqua ratione, ambijſſe repertus fuerit, nullo modo deinceps ad has ipſas dignitates, & officia promoueatur, quouſque Patri Generali, vel Prouinciali viſum fuerit.

13. Tertio ſi probetur quempiam vel per ſe, vel per interpoſitas perſonas, Generalis Præpoſiti dignitatem ambijſſe, de capitulo ſtatim, ne cum alijs interſit, moueatur, & per decennium actiuo & paſſiuo ſuffragio careat, neque vllo pacto pœna eius remitti poſſit. p.1. c. 6. n.4.

14 Quarto qui è domibus aufugerit, aut quoquo pacto, nulla Superioris impetrata licentia, receſſerit, vel temere habitum dimiſerit, apoſtaſiæ criminis reus declaretur, necnon cum eo ad hanc præſcriptam formam agatur. *Quoniam iure cauetur, prælatos ſollicitos eſſe oportere, fugitiuos, & apoſtaſiæ vitio notatos ad regularem diſciplinam ſalubriter reuocare, & inobedientes per ſententiam excommunicationis punire. Idcirco nos te N. qui noſtræ Congregationi canonicè aſcriptus, in magnum regularis, & eccleſiaſtica diſciplinæ, & honeſtatis dedecus, euagatus es, monemus, vt ad congregationem tuam Clericorum Minorum reuertaris* [aut ad aliam Religionem tuæ ſaluti idoneam, necnon tibi conceſſam, ſecundum noſtræ Religionis inſtituta, ingrediaris] *tibi trium dierum ſpatio præfixo, quo noſtram admonitionem fideliter, & efficaciter exequaris, quam temporis dilationem tibi pro prima, ſecunda, & tertia peremptoria monitione aſſignamus. Quod ſi non feceris ex nunc prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc in ſcriptis te ipſum ſententiæ excommunicationis ſubiacere decernimus.* Si reſipuerit, & Superioris præcepto obtemperare paratus ſit, à Superiore primum in capitulo, deinde à Patribus illius domus, à qua receſſerat, humi proſtratus veniam humiliter petat; ac, ſalua ordinis diſciplina, in eadem domo, ſeu alia, Superioris arbitrio, ad agendam pœnitentiam recipiatur.

Verba intra quadratum non apponuntur in monitorio ex d. 40. R. n. 1. & 2.

15. Quinto qui, iam noſtrum ordinem profeſſus, ad aliam Religionem ſe contulerit, vel ſub quouis prætextu migrauerit, ac deinceps ad nos redierit; ſi clericus ſit, loco ſuo, quem inter fratres habuerat, & actiuo, atque paſſiuo ſuffragio, ſi quod poſſederat, ipſo facto, priuatus exiſtat. Inſuper per annum integrum, ac diutius (ſi Generali viſum fuerit) inter nouitios degat, & veluti nouitius habeatur. Si vero ſit laicus, ſuo moueatur loco, poſtremus omnium collocetur, & ſimiliter per annum integrum domo ne exeat, & eodem ipſo tempore, decurtatam veſtem ge- d.40. R. n.1. & d. 41. n. 1.

rat, altitudine à terra palmi vnius cum dimidio. Has pœnas neque remittere huiuſmodi religioſo, neque minuere Pater Generalis poterit: id enim ad ſolum generale capitulum pertinebit: quamuis pœna inter nouitios degendi, à Prouinciali, de Aſſiſtentium voto, poterit in aliam commutari.

CAPVT XV.

De gubernationis duratione, ac deſitione.

1. QVod primo attinet ad durationem, tria illa gubernationis genera, quæ præſcripſimus, gubernatio ſcilicet generalis, prouincialis, & localis, & earum quælibet numquam in noſtra Religione ceſſabunt, ſed diuturnæ ſemper, ac ſtabiles permanebunt: vt non liceat aliquod vacationis tempus deſignare, in quo vel Religio in vniuerſum à generali gubernatione, vel à prouinciali prouincia, vel à locali quilibet locus non regatur.

2. Secundo ſinguli gradus in quolibet gubernationis genere ſemper etiam diuturni erunt, & omni tempore perdurabunt, nec vllo modo, vel prætextu poterit eorum aliquis vacare: ideoque in gubernatione generali ſemper erunt, qui Generalis, qui Aſſiſtentium, qui Procuratoris generalis, qui Secretarij munus exerceant. Et ſimiliter in gubernatione prouinciali, ac locali; ſed quando eorum quis per mortem, vel alias ob cauſas defecerit, quamprimum ſubrogandus alius erit, prout de ſingulis ſuo loco dicemus.

3. Cæterum perſonæ ipſæ, quæ in ſingulis gradibus ſtatuentur, diuturno in illis tempore non durabunt: omnino enim volumus, vt nemo ad eos perpetuò, durante vita, deputetur, ſed omnes ad determinatum temporis ſpatium aſſumentur.

4. Iam vero gubernationis deſitio in ordine ad tria illa gubernationis genera, & ad quemlibet eorum gradum nullatenus dabitur. Numquam enim, vt dictum eſt, ceſſabunt, ſed dabitur ſolummodo in ordine ad perſonas, quæ quidem à gubernando deſinent varijs modis.

5. Quorum primus erit per ſimplicem ceſſationem, cum ſcilicet, tempus quiſque ſuum in ſuo munere tranſegerit. Verùm quamuis fuerit tale tempus elapſum, in ſuo nihilominus

quiſque gradu permaneat, quoad vſque vel in eo confirmetur (ſi tamen confirmationem officium illud admittat) vel alius, de nouo electus, eius adeat munus. Verum id de viſitatoribus intelligi nequit, qui ſtatim, viſitatione peracta, ſimpliciter ceſſabunt; etiam ſi alij de nouo non creentur; neque etiam intelligendum id erit de procuratoribus prouinciæ, qui ad generale capitulum, & de procuratoribus domorum, qui ad prouinciale capitulum deſtinantur; qui omnes ſtatim, capitulis abſolutis, ceſſabunt, etiam ſi alij de nouo non conſtituantur: & idem ſit dictum de alijs officialibus eorumdem capitulorum.

6. Secundus deſinendi modus eſſe poteſt per officij renunciationem, quæ tamen ſine iuſta cauſa, & legitima, neque fieri, neque acceptari poterit; vbi verò legitima cauſa ſubſit, ab acceptandi poteſtatem habentibus approbari debet: huiuſmodi verò poteſtatem ſic præſcribimus, vt quælibet officiorum gubernationis localis renunciatio à Prouinciali de voto ſuorum Aſſiſtentium valeat acceptari, non autem à locali capitulo. De renunciationis verò à Præpoſito factæ acceptatione infra in ſpecie agemus. Sed tamen Procurator domus, qui electus à ſacerdotibus ad prouinciale capitulum nomine domus deſtinatur, ſi poſtquam munus acceptauit, renunciare velit, ea renunciatio accipi à nemine poſſit. Acceptationem porro officiorum gubernationis prouincialis ad Generalem, eiuſque Aſſiſtentes deuoluimus. Excipimus tamen eam, quæ à viſitatoribus, & à ſecretario prouinciæ fieret: hæc enim ab ipſo Prouinciali, de Aſſiſtentium voto, poterit acceptari; eam vero, quæ à procuratoribus prouinciæ ad generale capitulum deſtinatis fieret, nullo modo acceptari poſſe decernimus. Denique quod attinet ad renunciationes officiorum gubernationis generalis, ſtatuimus, vt nullo modo quocumque prætextu valeant acceptari, & eas omnino inualidas eſſe declaramus.

d. vlt. R. n. 2.

Infra c. 32. n. 8.

Non habet amplius locum ex d. 3. c. g. 19.

7. Tertius deſinendi modus eſſe poterit per tranſlationem ex vno in alium gubernationis gradum, vt ſcilicet deſinat quis ab vno, & in alio collocetur: ſed tamen volumus, vt hæc tranſlatio non ſemper fieri poſſit: omnino enim qui in gradibus gubernationis generalis reperiuntur, ad alios prouincialis, vel localis nullatenus transferri valebunt: neque etiam qui in prouincialibus ad locales. Cæterum, etſi localis Præpoſitus transferri poſſit ad gradum Præpoſiti Prouincialis, vel Generalis; ad alios tamen, eo non acceptante, nequaquam, quamuis ſint gradus

Aſſi-

Aſſiſtentium, vel Procuratoris generalis; idemque ſit dictum de Præpoſiti Prouincialis translatione. Alij tamen (præter Præpoſitum) in gubernatione locali conſtituti ad quoslibet prouinciales, & generales gradus, & in gubernatione prouinciali (præter Prouincialem ipſum) ad eoſdem gradus generales ſemper transferri promiſcuè poterunt. Et ſimiliter Præpoſitus localis in
d. 19. R. n. 1. vna domo, ad alterius Præpoſituram, intra tempus ei deſignatum, transferri quidem poterit, ſed non niſi rarò, & ob grauiſſimam cauſam, ac publicum religionis bonum.

8. Quartus deſinendi modus conſiſtere poteſt in ſimplici amotione, etiamſi crimen aliquod non exiſtat; & per hanc non
d. 19. R. n. 2. niſi Vicepræpoſitus domus reſidentiæ Generalis ab ipſo Generali de Aſſiſtentium voto; & Vicepræpoſitus Prouincialis, eodem modo de Aſſiſtentium placito; ac etiam ſecretarius localis; & vicarius domus, de localis capituli conſenſu, poterunt ad libitum etiam infra annum amoueri.

9. Vltimus modus in depoſitione, ſeu priuatione ob crimen aliquod perpetratum conſiſtet; ſi enim, qui alios corrigere debet, peiora committens, magiſter erroris efficiatur, ius omne poſtulabit, vt à gubernationis gradu exturbatus deſinat alios morum prauitate corrumpere. Sed vero, ne in tanti ponderis negotio à iuſto tramite deuietur, deponendi, ſeu priuandi facultas in primis ſtatuenda erit, quæ ſanè quoad priuationem eorum, qui in gradibus gubernationis localis conſtituuntur, penes Præpoſitum Prouincialem, eiuſque Aſſiſtentes ad plura ſuffragia erit. Quoad priuationem vero eorum, qui in gradibus gubernationis prouincialis locantur, priuandi facultas Patri Generali, eiuſque Aſſiſtentibus, ac Procuratori generali, ad duas partes competet; excipimus tamen priuationem ſecretarij prouincialis, ac viſitatorum, quæ ad Patrem Prouincialem, eiuſque Aſſiſtentes, ad plura ſuffragia ſpectabit. Denique ſi quis ab aliquo gubernationis generalis gradu deponendus eſſet; facultas contra Generalem ipſum erit tantummodo ad duas partes, penes generale capitulum, hoc intuitu conuocandum: priuandi vero Aſſiſtentes, Secretarium, ac Procuratorem generalem poteſtas erit penes ipſum Generalem, eiuſque Aſſiſtentes Secretarium, ac Procuratorem, necnon Prouincialem romanæ prouinciæ, & duos alios antiquiores capitulares in eadem prouincia, vt aſſignatos degentes, excluſo eo, cuius cauſa agitur: ſuffragiorum vero, quæ in huiuſmodi depoſitione decernenda neceſſaria erunt, ex tribus partibus duæ concurrant.

rant. Adiungimus autem, quod omnes ij, quibus quælibet deponendi facultas inerit, in vnum ſimul congregati cauſam cognoſcant.

10. Proinde vero iuſtæ cauſæ ad talem depoſitionis actum ſufficientes tales erunt; prima incontinentia carnis; ſecunda proprietas contra votum paupertatis in magna quantitate; tertia manifeſta inobedientia cum ſcandalo, & contumacia; quarta ſchiſma contra pacem Religionis; quinta demum ſi quid patratum fuerit quod per leges ciuiles capitali, vel ſacros Canones depoſitionis pœna mulctetur. Sed vlterius, præter has, aliæ etiam erunt, propter quas Generalis, Prouincialis, & Præpoſitus localis deponi poſſint, videlicet reddituum, ac magni pretij rerum ſtabilium Religionis diſſipatio, ſi ea in proprium, ſiue in aliorum commodum, vſumue conuertant, atque adeo peccato mortifero proprietatis in huiuſmodi diſſipatione delinquant. Si quis etiam eorum valde remiſſus, & ſocors fuerit in rerum magni ponderis tractatione, & ſubditos in peccatis cum magno patrum ſcandalo inſordeſcere permiſerit: adeo vt inde ordinis noſtri labefactatio, & diſſolutio videatur imminere; neque in eo emendationis ſpes vlla appareat: id quod in Generali ſi euenerit, propter grauem eius corporis ægritudinem, aut ſenectutis debilitatem; tunc Aſſiſtentium opera, ac labore adiuuabitur, nec depoſitione dignus erit. In Prouinciali vero, & locali Præpoſito, ſi id ipſum propter eamdem debilitatem acciderit, non deponendi, ſed cogendi erunt, vt ſuo muneri renuncient. Denique peculiaris cauſa ad Procuratorem generalem deponendum ſufficiens erit, ſi quid alicuius momenti, etiam in beneficium Religionis, inſcio, vel inuito Generali, procurauerit, illudque fuerit aſſequutus; imo propter eamdem cauſam inhabilem eum ad quemlibet gubernationis gradum declaramus, donec denuo à generali capitulo habilis reddatur.

d.42. R. nu. 1. d. 55. R. & d.43. R. & d. 25. R. n. 2. & d. 19. R. n. 4. d.21. c. g. 19. & 14. eiuſdem circa finem.

11. Cæterum modus in cuiuslibet depoſitione ſeruandus huiuſmodi erit videlicet, vt primo criminis inſtitutio fiat de conſenſu maioris partis eorum, qui deponendi poteſtatem habent. Ea tamen quæ, ad deponendum Generalem, fieri debet, ab Aſſiſtentibus ipſius Generalis cum Prouinciali romano ſumenda erit, & generali capitulo præſentanda. Sed ne detur locus calumnijs, ac falſitatibus; ſiue per inquiſitionem, ſiue per denunciationem, vel accuſationem, aut quouis alio modo procedatur; teſtes, ſi odio, temeritate, aut cupiditate, aliquid depoſuerint

d. 1. R. n. 11.

rint,grauibus pœnis ab eiſdem, qui inſtitutionem criminis conficient, mulctentur; etſi inſuper quod denunciauerint Superiori, vel viſitatori,tamquam Iudicibus,in ſcriptis, falſum eſſe reperiatur,pœna talionis puniantur. Si vero informationes veritati nitantur, procedatur deinde ad cauſæ cognitionem, & terminationem ab illis ſimul vnitis, quibus facultas deponendi inerit, audiatur reus,defenſione iuridica ſibi conceſſa. Sed & neceſſe inſuper erit, vt tam criminis inſtructio, quam cauſæ cognitio ſic ſecreto conficiatur, vt ad aliorum aures nulla ratione perruehi poſſit.

12. Vlterius autem in Patre Generali deponendo peculiaris hic modus adhibeatur: ſimul atque Patribus Aſſiſtentibus crimen Patris Generalis ſolidè exploratum fuerit, rem omnem Prouincialibus vicinioribus per literas à tribus ſaltem Aſſiſtentibus ſubſcriptas,ſignificabunt; & ab eis, quid ſentiant, expoſcant; an ſcilicet cogendum generale capitulum videatur: ijs affirmantibus; atque adeo maiore parte illorum Prouincialium, & Aſſiſtentium aſſentiente, capitulum quamprimum conuocetur.

13. In illud Pater Generalis amouendus ne admittatur, ſed Patribus congregatis primus Aſſiſtens cauſam proponat, exponatque ſimul probationes, teſtificationeſque criminis producat: deinde audiatur reus, defenſione legitima ei conceſſa; mox conſultationem ſuper eius cauſam inchoabunt: ſique, re probè cognita, duæ Patrum partes ex tribus eum amouendum eſſe iudicauerint;citetur reus; eique ſententia depoſitionis ſignificetur; moneaturque,poſſe Patres in eum ſententiam depoſitionis infligere: tamen rationem habere eius honoris, nominiſque; quod hoc modo,ſi ſponte ſe ſe abdicauerit, ſeruatum volunt. Quocirca, ſi ſua ſponte cedat Generalis muneri, id & ſibi commodum, & Patribus iucundum fore. Si Pater Generalis ſponte ſe ceſſurum officio reſpondeat, annuant Patres, eiuſque abdicationem accipiant; tum omnibus, & ſingulis Patribus primus Aſſiſtens in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiat, vt ſecreto celent,quidquid de Patre Generali amouendo agitatum fuerat; deinde publicetur Patrem Generalem ſuo muneri ceſſiſſe. His actis,ad nouam Patris Generalis electionem, eo,quem ſcribemus ordine, rituque procedatur. At,ſi duæ ex tribus partibus Patrum capituli,depoſitioni Generalis non conſentiant,aut ſi crimina in eum producta non ſatis probentur,tunc Pater Generalis

ralis in capitulum vocetur, eumque primus Aſſiſtens grauiter corripiat, toto præſente capitulo, ijs verbis, quæ in eum dicenda ante capitulum ſtatuerit; nec ſe Pater Generalis excuſet, ſed quidquid inflictum fuerit, humiliter audiat, ferat, & ſuorum erratorum emendationem, diuino fretus auxilio, polliceatur. Hæc præcipuè, quæ in Generali admonendo, corripiendoque acta fuerint, ſecreto celent Patres: atque ne ſe nihil egiſſe, & capitulum fruſtra coactum videatur, decernant quædam alia, quę ad Religionis emolumentum, & diſciplinæ obſeruationem cedant; ita fiet, vt ob ea ſtatuenda capitulum ſe conuocaſſe videri poſſint.

CAPVT XVI.

De ſingulis gubernationibus in ſpecie, & primo de gubernatione generali in vniuerſum.

1. IAm ſatis quæ ſunt communia ad tria gubernationis genera diſpoſuimus, ne ſingillatim ea repetere cogeremur; ſed quo omnia completè tradantur, neceſſe inſuper eſt, vt ſingula in ſpecie proſequamur.

2. Primo autem loco gubernatio generalis ſe offert, de qua in vniuerſum ſtatuimus, vt eius poteſtas ſumma ſit, quæ in noſtra Religione eſſe poteſt. Cui proinde omnes quotquot erunt noſtri Religioſi, ſiue ſacerdotes, ſiue clerici, ſiue laici, ſiue Prouinciales, ſiue Præpoſiti, ſiue quocumque nomine vocentur, vbique locorum, ſine aliqua exceptione, ſubiecti, & ſubditi eſſe intelligantur; & per illam plena, & abſoluta poteſtate dirigentur: ſemper permanebit, & nulla vnquam ratione ceſſabit.

3. His autem gradibus, vt dictum eſt, conſtabit; nimirum capitulo generali, & extra illud, Præpoſito Generali, Aſſiſtentibus, Secretario, & Procuratore: nec alij gradus præter iſtos poterunt in ea locari. Hi enim ſicut ſunt neceſſarij, ita etiam ſufficientes erunt, de quibus ſingillatim per ſequentia capita agemus.

CAPVT XVII.

De capitulo generali.

1. A generali capitulo, velut à ſummo Religionis apice, vniuerſali religioſorum bono proſpicitur; & ex illo, tamquā ex fonte, adminiſtrationis ſeries, diſciplinæ robur, obſeruantiæ munimentum, vnitatis conſeruatio præcipua ratione dimanant: vt merito regiminis noſtri præſidia in eius celebratione firmiter ſtabilire cogamur.

2. Proinde rite omnia diſponentes neceſſe eſt, vt capituli tempus, locum perſonas, officiales, ordinem, authoritatem, actus, & denique durationem, ac deſitionem præſcribamus.

3. Et quod attinet ad tempus, volumus vt generale capitulum ordinariè ſexto quoque anno celebretur. Sed intra hoc ſexēnij ſpatium, niſi dumtaxat cum Generalis ab officio deponendus forte eſſet, (quod Deus auertat) nullatenus propter aliam cauſam poterit celebrari; etiam ſi per mortem, vel alia ratione ab officio Pater Generalis defecerit: in hoc enim caſu eius electio ab alijs peragenda, infra ſequenti capite diſponetur. Dies autem ad illud inchoandum erit feſtum S. Lucæ, veſpertinis precibus recitatis, ſi ſexto vertente anno fiet; quod ſi forte Generalis depoſitio decernenda eſſet, dies erit, quam ipſimet Aſſiſtentes præſcripſerint.

Kalendis Maij d. S. R. n. 1.

4. Proinde locus ad huius capituli celebrationem romana noſtra domus deſignatur, vel etiam neapolitana, vbi primum noſter ordo ſumpſit initium; ſingulis igitur capitulis generalibus ſtatuant Patres alterutram futuri capituli ſedem; præterquam in his duobus vrbibus, nullibi celebrari deinceps poſſit.

5. Perſonæ autem, quæ generale capitulum ingredientur, ibique ius ſuffragij habebunt, hæ ſolummodo erunt; videlicet Pater Generalis, eius Aſſiſtentes, Secretarius generalis, Procurator generalis; Patres Prouinciales cuiuſcumque prouinciæ, & denique ſingularum prouinciarum bini Procuratores. Si vero Pater Generalis, aut Prouincialis quiſpiam impeditus fuerit, mittat ſuo loco, quem voluerit; nempe Pater Generalis aliquem ex deciſiuis capitularibus cuiuſcumque prouinciæ; Prouincialis verò ex deciſiuis capitularibus ſuæ prouinciæ. Cæterorum nemini liceat

d. 10. R. n. 6. & 7.

pro-

procuratorem, aut alium vllum, ſui vice, vt capitulo generali interſit, ſubrogare. Imo præter hos nemo ſit, qui ad ciuitatem, vbi capitulum celebrabitur, accedere audeat, niſi Pater Generalis ex grauiſſima cauſa concesſerit, & licentiam ſua ſcriptam manu dederit: qui ſine huiuſmodi licentia venerit, puniatur ea pœna, quam in hos homines capitulum infligendam decreuerit. Sed & qui inſuper ex ipſiſmet capituli Patribus poſt ſtatutum diem, cęptumque capitulum venerint, ingrediantur quidem, rata tamen erunt, quæ ante ipſorum aduentum acta fuerint.

6. Iam vero officiales, qui ad directionem capituli, & ad omnia, quæ gerentur, neceſſarii erunt, tales omnino conſtituantur; videlicet Præſes, qui primus erit, & caput omnium, atque capitulum diriget, vſque dum fuerit Pater Generalis electus. Nullatenus tamen, qui Generalis eo ſexennio fuerit, Præſes eligi poſſit. 2. Tres cauſarum reuiſores, qui cauſas ad capitulum delatas cognoſcant, & ad capitulum referant. 3. Secretarius, cui etiam (ſi neceſſe fuerit) coadiutor alius adiungendus erit. 4. Quatuor Patres deputati ex varijs nationibus, qui ſimul cum Præſide ad plura vota decernant, quæ ſint in capitulo proponenda, quæ etiam reijcienda. 5. Definitores quatuor, qui cum Generali, & quatuor Aſſiſtentibus noniter electis Prouincialium electiones efficiant. Porro hi omnes capituli officiales per ſecreta ſuffragia ex eorum numero eligantur, qui in capitulo ius ſuffragij habent: ſingulorum verò authoritas, & officium ſtante capitulo ſtabit, ceſſante ceſſabit, imo Præſes ſtatim poſt Generalis electionem.

7. Adhæc ordo capituli; qui quidem inter perſonas, quo ad seſſiones, & ſententias dicendas; & inter actus peragendos ſeruandus merito erit; ſic omnino diſponatur, vt in principio capituli, antequam officiorum abdicatio fiat, & Præſes creetur; primum locum Pater Generalis habeat, vel eo abſente Aſſiſtens primus, ſecundum Prouinciales, tertium reliqui omnes; inter Prouinciales autem, & Prouinciales, atque ſimiliter inter cæteros Patres antiquitatis ordo ſeruetur. Verum officiorum abdicatione peracta, & creato Præſide, primum locum ipſe Præſes habeat, tum intra, tum extra capitulum; ſecundum proximè infra Præſidem is, qui Generalis officio ſe iam abdicauit; cæteri verò Patres, ſine exceptione, antiquitatis ordine ſedeant, quocumque ibi officio perfungantur; id quod ſeruetur, vſque dum Generalis electio fiat, qua peracta ordo mutetur, & ipſe Generalis de nouo creatus primum locum habeat, & Præſes (niſi is idem Genera-

neralis factus ſit) ad ſuum ſe locum recipiat, qui ei antiquitatis vice debetur: & eodem modo Prouinciales, poſtquam electi fuerint, ſecundum locum poſt Generalem habeant, ac reliquos omnes præcedant. Proinde vero, quod de ordine in ſedendo dictum eſt, idem omnino ſtatutum intelligatur de ordine in ſuffragijs ferendis, ac ſententijs dicendis; cæterum capituli ſecretarius, vbi primum electus fuerit, è ſuo loco diſcedat, & vel poſtremus omnium ſedeat, è regione ſcilicet primæ ſedis, vel ſeorſim à cæteris, aut in alio capituli loco, in quo munus commode poſſit obire; in ſententijs tamen dicendis, & ſuffragijs ferendis, antiquitatis ordine procedat nisi interim ad aliquem fuerit gradum aſſumptus cui præcedentia debeatur, tunc enim non antiquitatis, ſed dignitatis ordo attendetur. Demum ij Patres, qui loco Patris Generalis, aut Prouincialis ad capitulum forte venient, non dignitatis eorum, quorum vices gerunt, ſed ſuæ antiquitatis locum, tum in ſedendo, tum in ſuffragijs ferendis habeant. Sed vt facile ſingulis capituli Patribus ſuus cuique antiquitatis locus innoteſcere poſſit, affigendus erit in ipſomet capituli loco catalogus omnium, quibus ibi competat intereſſe, notato die, menſe, & anno antiquitatis eorum. Poſtremo non ſolum inter perſonas neceſſarius erit ordo, ſed inter actus etiam in capitulo peragendos, vt ſcilicet hic primo, ille ſecundo loco peragatur: ſed ſingillatim, cum omnes actus præſcribemus, etiam inter eos ordinem obſeruandum diſponemus.

d. ſupra cit. n.6.

8. Interim autem de generalis capituli authoritate illud in vniuerſum decernimus, vt ea ſumma ſit, abſoluta, ac plena, quæ in noſtra Religione eſſe poteſt: nec ei limitata intelligatur, niſi in caſibus, in quibus hæ conſtitutiones expreſſam huius limitationis mentionem faciant.

9. Sed iam ad actus in capitulo peragendos tranſeamus; quos quidem hac ratione diſponimus, vt alii ad capituli inceptionem, ſeu præambula ſpectent: alii ad proſecutionem; alii denique ad terminationem. Inter eos autem, qui ad inceptionem attinent primus erit, vt conſtituto die, celebrata miſſa ſolemni de Spiritu Sancto, & peractis ſacris ritibus, qui in noſtro rituali habentur, ingreſſis Patribus locum capituli, decretum de eius inceptione efficiant, quo ſcilicet ſtatuatur eius capituli celebrationem die tali inchoari debere, & ſimul fiat deſignatio loci, qui defixa capituli ſedes erit. Secundo vt congruum detur initium, omnes, & ſinguli congregati Patres cum proteſtatione admittantur, ne

for-

ſorte inter eos aliquis ſit, qui in capitulo intereſſe non debeat. Tertio abſolutio dabitur, ad cautelam, ab omnibus cenſuris maximè reſeruatis, ad effectum legitimæ congregationis, ſeu capituli conſtituendi, ea forma, & modo, qui in libello de ritibus habetur. Quarto eligentur ſecretarius, ac tres cauſarum reuiſores per ſecreta ſuffragia: & ſecretarius quidem, vbi primum electus fuerit, ſtatim ad deſignatum ſibi locum accedat; & ea, quæ ſui muneris ſunt, exequatur, & eodem modo per ſecreta ſuffragia ſocium ei adiungere oportebit. Quinto legitimatio capituli conſequetur tum in ſe, vt ſcilicet videatur, qua ratione, & poteſtate ſit coactum; tum etiam quo ad perſonas, an ſcilicet ſinguli Patres congregati legitimè ibi interſint, quod præcipue ex cuiuſque literis patentibus innoteſcet, quæ omnes à ſecretario (cunctis audientibus) legentur. Et deinde ſi quæ forte dubitatio oriatur, num quis capitulo non debeat intereſſe, eam reuiſores cauſarum expediant. Ac denique ius ſingulorum breui inquiſitione cognoſcatur, exeunte interim eo à capituli loco, cuius cauſa agitur: quem tamen compertum fuerit non debere intereſſe, is (niſi omnes inter ſe Patres vnanimiter, nemine excepto, aſſentiantur) nequaquam admitti valebit. Sed tandem legitimatio capituli fiet etiam quoad tempus, & locum; an ſcilicet deſignato tempore, & conſtituta die cogatur, & an in ea ciuitate, quæ pro eius ſede eſt deſtinata. Sic autem legitimatione peracta, deueniatur ſexto loco ad electionem Præſidis, qui, poſtquam creatus fuerit, in prima ſede collocetur. Tum officiorum abdicatio fiat, hac ratione; vt Pater Generalis, ſi capitulo interſit, genibus ante Præſidem flexis, munere ſuo ſe abdicet, & ſigilla ſtatim, ac ſcripturas, quamprimum poterit, tradat. Humiliter etiam fateatur ſe non optimè munus geſſiſſe ſuum. Eius abdicationem recipiat Præſes. Deinde Patres Prouinciales, Aſſiſtentes, & cæteri omnes officio ſuo ſinguli cedant, &, culparum venia petita, ad antiquitatis ſuæ locum ſe recipiant. Mox Pater Generalis de capitulo exeat, vt de eo liberius dicendi facultas fiat, ac terminus præfigatur, infra quem etiam alij, quæ norunt, denunciare poſſint. Poſtremo electio peragetur eorum quatuor Patrum, qui deputandi ſunt ad ea ſeligenda, quæ proponi debent; atque hæc de actibus ad præambula capituli ſpectantibus.

Vt ſupra n.6.

10. Quibus peractis conſequentur deinde actus, qui ad capituli proſecutionem attinent, in quibus profecto tota eius vis conſiſtet, vt pote propter quos ipſum capitulum eſt coactum.

Huiuſ-

Huiuſmodi autem erunt ordinationes, ac leges condere, quæ bono Religionis neceſſaria videbuntur, & alia ad hanc rem ſpectantia decernere, negotia expedire, cauſas iudicare, electiones efficere: de quibus omnibus decreta peragentur eo modo, & forma, prout ſupra cap. 13. de actibus gubernationis præſcripſimus: & præcipuè quæ ad rerum propoſitiones, ac earum diſcuſſionem attinent, rite procedant.

Omnia per vota ſecreta ex d. 14. R. n. 2.

11. Sed in ſpecie quo ad leges, & ordinationes; ſinguli Patres, qui aliqua proponenda habent, ea ad Præſidem, alioſque deputatos Patres ſcripta deferant, vt ab illis diſcutiantur, an debeant proponi, necne; quod ſi reijcienda viſa fuerint, omnino tamen volumus, vt ea in vnum collecta in capitulo à ſecretario legantur, & à deputatis Patribus rationes afferantur, ob quas ea non eſſe proponenda ſtatuerunt. Quæ autem proponere viſum fuerit, ſecretarius in ordinem redigat, vt ſic ordinate collecta pertractentur: ita tamen, vt quæ magni ponderis erunt, in vna ſeſſione proponantur, ac ſcripta in capituli loco relinquantur, & in alia ſequenti decernantur. Si quid inſuper proponetur, quod in conſtitutionibus, vel in alijs noſtris legibus habetur, earum verba prius in plena congregatione legantur.

d. 14. R. n. 5.

12. Proinde vt facilius expedire omnia poſſint, valde congruum erit, ſi variæ de varijs rebus deputationes fiant; vt ſcilicet duos, treſue patres ea colligant, & ordinatè præſcribant, quæ de votis decernenda occurrent; duo treſue alij, quæ de cultu diuino; alij, quæ de noſtra ad proximum directione; alij, quæ de ſtudijs literarum; & ſic de ſingulis, eodem ordine ſeruato, quo hæ conſtitutiones procedunt. Non tamen, quæ in his deputationibus collecta præſcribentur, aliquid roboris habebunt, donec fuerint ab ipſo generali capitulo approbata. Vnde ſtatim atque deputati Patres ſuo munere ſunt perfuncti, ea, quæ collegerunt, Præſidi tradant, & à ſecretario in pleno capitulo legentur, tum quæ approbanda, quæue reijcienda erunt, ipſiuſmet capituli arbitrium definitione concludet.

13. Abſolutis verò, quæ ad ordinationes, & leges ſpectabunt, negotiorum expeditio ſubſequetur, vt puta ſi aliqua domus fundatio occurrat, vel aliquid aliud ad bonum Religionis promouendum. In negotijs autem grauibus præmeditationi tempus deſtinetur, & mature omnia peragantur.

14. Poſt hæc cauſarum, & viſitationum, quæ ad capitulum delata fuerunt, iudicia adiungentur, hoc ordine, vt primo tres

cau-

cauſarum reuiſores breuiter, & ſummatim omnia referant, quæ legerint; tum ſinguli Patres iudicium ferant: & inter hæc iudicium etiam eorum, quæ de Patre Generali denunciata, ac depoſita fuerint, numeretur: volumus enim, vt capitulum generale, Generalem Præpoſitum viſitet, præfixo termino, vt dictum eſt, infra quem denunciari poſſint, quæ contra eum occurrent, eaque omnia reuiſores cauſarum recipient, & ad capitulum referant.

15. Et hinc ad electiones procedatur, primo capitularium, ſecundo Patris Generalis, tertio Aſſiſtentium eiuſdem, quarto Secretarij generalis, quinto Procuratoris generalis, ſexto Prouincialium; nec aliæ electiones peragentur. d. 10. R. n. 1. & d. 30. n. 1.

16. Sed electio in primis capitularium non neceſſario efficienda incumbit: & ideo ante omnia decerni ad plura ſuffragia debebit, an ea ſit peragenda, necne, auditis quæ procuratores prouinciarum de neceſſitate quiſque ſuæ prouinciæ dixerint: tum ſi maiori parti peragenda videatur, producant ipſimet procuratores eos omnes, quos vt eligibiles ad vocem prouinciale capitulum, vel ob inſignia alicuius ſacerdotis merita, aut aliam grauem cauſam nominatos dederit. Mox eorum merita ſcrutentur patres; ac primi de ijs procuratores, & demum reliqui, quid de vnoquoque eorum ſentiant, ſingillatim in medium proferant: tum ad ſecreta ſuffragia deueniatur, hoc ordine, vt ſinguli nominatim primo vnius prouinciæ, deinde alterius, antiquitatis ordine inter eas ſeruato, in ſingulis ſcrutinijs ſucceſſiue vnus poſt alium, electioni deputentur. Vota etiam, ſeu ſuffragia in vrna excipiantur, duobus in electoris manu calculis, ſeu globulis exiſtentibus, vno albi coloris, qui affirmatiuus erit, altero vero nigri coloris, qui negatiuus; & talem quiſque in vrnam inijciat, qualem ad Dei gloriam, & Religionis bonum ſalubriter expedire dignoſcet: alterum autem globulum in manu ſuperſtitem in aliam vrnam ſeorſim locatam ſecreto immittat. Exinde electionis vrnam ſcrutatores aperiant, calculos numerent, & ſi albi in maiori numero fuerint, proferant electionem eſſe factam, atque ille habeatur electus: ſi in minori, vel in pari, infectam, & vt excluſus cenſeatur. Et quod hic de pari numero ad excluſionem ſufficienti ſtatuitur, peculiare erit in hac capitularium electione: non autem in alijs electionibus peragendis; in quibus par numerus neque concludit, neque excludit.

d. 16. R. n. 1.

d. 9. R. n. 1.

17. Capitularium electione peracta ad electionem Patris

Ge-

Generalis procedatur: atque in primis ſpatium aliquod temporis deſignetur, quo patres ad eam ſe præparent, & præcedenti die, antequam fiat, capitularibus intimetur: & interim in rem tam ardua Spiritus Sancti gratiam aſſiduis orationibus impetrare conentur; ad quem etiam finem quadraginta horarum oratio priuatim in oratorio habeatur, vt cæleſti lumini electorum mentes illuſtrare dignetur Dominus. Sed & inſuper meditatione præuia ſe muniant patres, ac perpendant, qua intentione, qua vigilantia, quo affectu tanti ponderis actus debeat expediri, Deique honorem, & Religionis bonum pura mente intuentes, priuatas animi paſſiones cohibeant, &, quo omnia corrumpuntur, ambitionis vitium prorſus abigant; cui tamen malo, ne aliquo modo ſubrepat, occurrere volentes, præſcribimus, quod ſi probetur quempiam per ſe, vel per interpoſitas perſonas Generalis Præpoſiti dignitatem ambijſſe, de capitulo ſtatim, ne cum alijs interſit, moueatur; & per decennium actiuo, & paſſiuo ſuffragio careat: neque vllo pacto pœna eius remitti poſſit.

Supra c. 14. n. 13.

18. Proinde ipſo electionis die celebrentur à patribus capituli miſſæ de Spiritu Sancto, & hora deſignata ſermo, ſiue oratio de electione in genere habeatur ab eo, quē deſignauerit Præſes: nullum tamen in eo ſignum detur, quo peculiaris aliqua perſona ſignificetur.

19. Poſtea coram omnibus legantur à ſecretario, quas in Patre Generali expoſcimus qualitates, de quibus infra capite ſequenti agemus. Deinde omnibus detur à cūnctis cenſuris abſolutio, ad canonicæ electionis effectum; qua data, ad orationem ſe omnes ſubmittant in genua, vt Deus ipſis eam det mentem, quam ille ſcit optimam, ac hymnum Spiritus ſancti dicant.

20. Poſtmodum in ſilentio vnus poſt alium, ſinguli ad ſecreta ſuffragia ferenda ordinate procedant, eo modo, qui iam ſupra cap. 13. eſt præſcriptus: ibi enim communem tradidimus modum ad omnes electiones peragendas: atque is in hac electione complete erit ſeruandus.

Iuxta formam d. 1. R. n. 3.

21. Demum electione completa, omnes vnà patres capituli reuerentiam ei ſimul exhibeant; & ſtatim, nulla interpoſita mora, conficietur à ſecretario electionis decretum, & ſingulorum patrum ſubſcriptione firmetur, antequam capituli locum exeant.

22. Mox, ſigno dato, omnes, qui in ea domo aderunt ſacerdotes

dotes, clerici, & laici ad fores capituli conuenientes, inde cum electoribus, & Patre Generali electo iuxta ritualis præſcriptum in proceſſione cantantes, ad chorum, vel oratorium pergant, ibique dicto, *Te Deum laudamus*, Patrem Generalem capitulares duo antiquiores ad ſedem in medio poſitam deducant: tum ſecretarius decretum electionis coram omnibus clara voce legat. Poſtea ſinguli ordinatè, ſubmiſſis genibus, manum ei oſculantes, obedientiam polliceantur, & cætera fiant, quæ ad ritus alios attinent in rituali præſcriptos.

23. Si contingat quempiam in Generalem eligi, qui extra ciuitatem, in qua capitulum peragitur, exiſtat, ſtatim vocetur, & niſi ad romanam domum venerit, in nullo alio loco ei poſſeſſio tradatur, nec vllo modo electus intelligatur. Si autem ob loci diſtantiam ſtatim venire non poteſt, electio nihilominus pronuncietur omnibus, qui in ea domo ſunt, & interim Præſes capitulum proſequatur, eique intendat. Dimiſſo vero capitulo, primus Aſſiſtens, vſque dum Generalis aduenerit, gubernet. Quod ſi vlterius Generalis electus, & abſens nolit, aut non poſſit venire, aut etiam, ex iuſta cauſa, onus non valeat acceptare: tunc eadem prorſus ratio habeatur, ac ſi per mortem defecerit. Cæterum, ſi capitulum in ciuitate Neapolis celebretur, & ibi Generalis electus præſens reperiatur, poſſeſſio quidem ibidem ei tradatur, ſed tamen infra menſem ad romanam domum ſe conferre, abſoluto capitulo, teneatur; atque hæc de Generalis electione. d.1. R.n. 7.&10.

24. Tertia porro conſequetur electio, quæ erit Aſſiſtentium Generalis, quæ eodem modo per ſecreta ſuffragia fiat, ſinguli autem ex ſingulis nationibus eligantur, vnus autem dumtaxat poterit confirmari; quibus electis, Secretarius generalis, & poſt eum Procurator generalis ab omnibus ſimul capituli patribus eligantur. d.3.R.n. 1. Volumus autem vt in electione Præpoſiti Generalis, eiuſque Aſſiſtentium, ac Secretarij, & Procuratoris generalis, vocem paſſiuam nequaquam habeant ij capitulares, qui in eodem capitulo generali fuerint ad ius ſuffragij electi; id quod de electione ad hæc generalia officia in eodem ipſo capitulo dumtaxat intelligi debet. d.4.R.n. 1.

25. Et tandem ad Prouincialium electionem deueniatur, quæ in definitorio fiet, iuſque ſuffragij in eo habebunt ij ſolummodo patres; videlicet Pater Generalis, eiuſque Aſſiſtentes de nouo creati, & inſuper quatuor alij definitores ab ipſo capitulo eligendi. Ergo, procuratoris electione abſoluta, ſtatim quatuor d.20. R. n.1.

definitores eligantur; & ſi electus Generalis, vel Aſſiſtens aliquis abſens eſſet, tunc in locum Generalis, capituli Præſes ſubrogatus intelligatur: & in locum Aſſiſtentis definitor alius creetur; ita vt nouem electores in definitorio valeant conuenire.

26. Hi proinde nouem viri (ex quorum numero deputandus erit, qui ſecretarij officio fungatur) habeant prius diligentem præſcrutationem perſonarum, quę ad prouinciarum regimen aptæ videbuntur, & audiant patrum capitularium relationem, ſingillatim ijs in definitorium vocatis, & ſimiliter literas à Præpoſitis domorum de aptis ad hoc onus habitas aperiant, & legant: volumus enim, vt ſinguli domorum Præpoſiti cuiuſcumque prouinciæ ad definitorium generale priuatim quiſque ex ſe ſcribere teneatur, quinam idonei videantur, vt prouincialis of-
d.r.5.n.2 ficio in ſua prouincia valeant apte perfungi: ijſque apertis, & lectis, deueniatur ad ſuffragia ſecreta, & ab illis nouem, vt dictum eſt, eligantur Prouinciales, vel etiam confirmentur in triennium duraturi, ſucceſſiuè vnus poſt alium. Cæterum aliorum Superiorum, & officialium electio non in capitulo generali, ſed in
d.10. R. n.1. capitulo prouinciali, in qualibet prouincia, poſt generale, celebrando peragentur. Atque hæc ſatis de electionibus, & actibus ad proſecutionem capituli ſpectantibus.

27. Nunc verò actus, qui ad terminationem capituli attinent, ſubiungentes, inter eos illum primo conſtituimus, qui erit vt ſcripta omnia de quauis re, ad ordinis adminiſtrationem ſpectantia, vel contra quoſcumque acta fuerint, ad Patrem Generalem eiuſque Aſſiſtentes, ac definitores deferantur, neque apud ſe quiſpiam aliquid retineat. Secundus actus erit, vt ſimul patres decernant, quæ ſcripta ſeruanda, quæue reijcienda, quæue igni tradenda videantur, relatione prius habita à tribus reuiſoribus cauſarum. Tertius erit decretum, quo omnia in capitulo peracta confirmentur; & aliud etiam, quo capituli diſſolutio decernatur, in cuius poſtea virtute terminari debebit, ſeruatis omnibus, quæ ad ritus attinent.

28. Sed iam actibus in particulari deſcriptis, ratio eos ſcribendi modo ſe offert; de qua illud in vniuerſum decernimus, vt omnes in libro peculiari actorum generalium à ſecretario, latina lingua, diſtincto ſeſſionum ordine, ſcribantur. In eo tamen libro ſimul cum aliis actibus nequaquam ſcribenda erunt iudicia, & ſententiæ cauſarum, quæ à capitulo iudicata fuerunt, ſed ſeorſim in chartis alijs ponenda: vt, ſi poſtea generali capitulo ea com-

buren-

burenda videantur, facile, ſine libri ſciſſione, id fieri poſſit. Oportebit autem, vt qui actus in vna ſeſſione peragentur, in alia ſequenti coram omnibus legantur, & ſingulorum ſubſcriptione firmentur.

29. Sic autem compoſitis omnibus, neceſſe etiam erit, vt decreta, quo ad ordinationes, & leges, ea nimirum, quæ in vſum inducenda erunt, & executioni mandanda, ante capituli diſſolutionem, ex eodem libro actorum generalium à ſecretario in vnũ redacta ordinatè diſponantur, hac ratione, vt in tres veluti partes diuidantur. Et prima pars continebit ea, quæ ad ſubſtantialia inſtituti ſpectare videntur, & ex proprio nomine canones vocabuntur, ac libro conſtitutionum correſpondebunt; ſecunda pars ea, quæ ab omnibus, & ſingulis vbique obſeruanda erunt, & regulæ, ſeu obſeruantiæ communes dicentur; tertia denique ea, quæ ad regulas, & inſtructiones officiorum, ac munerum attinent, quas proinde inſtructiones, ſeu regulas peculiares appellare oportet. Porro quælibet harum partium in plura capita (ſi diuiſionem materia poſtulabit) partietur, & ſuo titulo quodlibet caput inſigniri debebit, vt ſic diſtinctè omnia habeãtur. Similiter & decreta in tribus capitulis generalibus immediatè ſibi inuicẽ ſuccedentibus ſpeciatim in vnoquoque confirmata, ac proinde vim conſtitutionis habentia, ſeiunctim ab alijs, ſub nomine decretorum, quæ vim conſtitutionis habent, colligantur. Atque hoc ordine excepta decreta in plena congregatione legantur, atque per totam Religionem euulgentur, retento originali in archiuio generali, in quo ſimul libri omnes actorum generalium perpetuo conſeruari debebunt. Communiter autem coram omnibus religioſis cuiuſcumque domus legenda erunt ea dumtaxat, quæ ad communem obſeruantiam attinent, vt ſinguli, quid obſeruandum ſibi ſit, cognoſcant. Caueat autem vnuſquiſque, ne ijs, quę à capitulo ſancita fuerunt, repugnare, ac contradicere audeat: ſed rata firmaque apud omnes per ordinem vniuerſum habeantur: qui contrafecerit, aut obloquutus fuerit, grauiſſimè puniatur. Sed vltimo tandem loco duratio capituli, eiuſque diſſolutio præſcribenda remanet: & quidem quod attinet ad durationem, certa regula non poteſt aſſignari; illud tamen ſedulo curent patres, vt quam citiſſimè poſſunt, ſe expediant. De capituli autem diſſolutione ſtatuimus, eam arbitrio maioris partis capituli, non vero ſolius Generalis peragendam eſſe. Ante quam vero diſſoluatur, fiat decretum, quo ipſamet diſſolutio capituli decernatur;

in cuius poſtea virtute, peractis omnibus, quæ ad ritus attinent, atque Religionis ſigillo munitis decretis, & alijs quibuſcumque ſcripturis in capitulo peractis; atque ſingulorum patrum ſubſcriptione firmatis, abſolutum, & terminatum in nomine Domini habeatur capitulum; & qui diſceſſuri ſunt, quamprimum diſcedant.

CAPVT XVIII.

De Præpoſito Generali.

1. PRimaria adminiſtrandi ordinis vniuerſi poteſtas, extra tempus capituli generalis, in Generali Præpoſito ſubſidebit, qui locorum omnium, & perſonarum noſtræ Religionis primus paſtor, & rector præcipua obedientia recolendus erit.

2. Sed vt dignè quis ad hunc ſupremum in gubernatione gradum valeat promoueri, ſicut authoritate omnes excellere debet, ita & egregijs qualitatibus inſignitum eſſe oportet; quare volumus, vt is ætate ſit maturus, quo ſuum munus, ſine authoritatis, & decentiæ iactura exerceat; viribus præſtet, quibus tam graue pondus ſubſtineatur; animi magnitudine, virtute, conſilio, diſcretione, ac rerum experientia polleat, vt officio tam ſupremo ſupremæ dotes reſpondeant; in rebus ſpiritualibus, & internis ſit quam maximè verſatus, quo ſpiritui addictos viros promoueat; ſollicitudine, & dexteritate in rebus agendis vigeat; quo incepta negotia ad finem perducat. Denique alia gubernationis munia in Religione geſſerit, quo probatus, & experimento edoctus non in incertum ſua conſilia dirigat, nec à recto adminiſtrationis itinere deflectat. Vnde æquum eſſet, ſi prius Prouincialis, aut Aſſiſtens extitiſſet.

3. Cæterum ne ad hunc gradum poſſit aſſumi, impedimenta
Cap. 9. obſtabunt, quæ iam ſupra dedimus in communi præſcripta, nec alia in particulari occurrunt.

4. Porro electione hæc promotio fiet, & non niſi à capitulo generali, cui abſoluta ad hunc gradum eligendi facultas inerit, ea prorſus ratione, & modo, prout iam ſupra præcedenti capite diſpoſuimus. Nihilominus tamen ſi, intra ſexennium, quod ab vno ad aliud generale capitulum intercurrit, Pater Generalis ſiue per mortem, ſiue alia cauſa ab officio deſierit; tunc generale ca-

pitulum

pitulum ad nouam electionem cogendum non erit: ſed volumus vt Generalem eligendi facultatem plenam, totalem, & abſolutam hi ſolummodo habeant, videlicet; generales Aſſiſtentes, Secretarius generalis, Procurator generalis, & quinque alij electores ex domo reſidentiæ generalis, vel ex locis, aut prouincijs vicinioribus, per ſecreta ſuffragia ab ipſiſmet Aſſiſtentibus, Secretario, ac Procuratore eligendi. Ab his ergo vndecim viris in vnum congregatis noua generalis electio in caſu poſito, plena authoritate (infra ſpatium tamen duorum menſium) fiet. Quod ſi infra hunc terminum quinque electores adiuncti non venerint, ſubrogentur omnino ex eorum numero dumtaxat, qui in domo reſidentiæ Generalis præſentes aderunt, alij quinque electores ab ipſiſmet Aſſiſtentibus, Secretario, ac Procuratore per ſecreta ſuffragia. Porro noui Generalis electio eodem modo, ac ſi in generali capitulo fieret, peragatur: & ſolummodo addimus, vt nemo ex his vndecim electoribus poſſit in Generalem eligi, niſi ex tribus duæ ſuffragiorum partes concurrant: ac proinde neceſſaria erunt ex vndecim octo ſuffragia: ad alium tamen, extra vndecim electorum numerum, eligendum, maior pars ſatis erit: eligetur autem duraturus in officio ad ſequens vſque generale capitulum celebrandum.

d. 2. R. per totũ

d. 1. R. n. 9.

5. Iam vero Præpoſiti Generalis authoritas ampla iuriſdictione conſtabit in omnes, & ſingulos vbique gentium degentes religioſos, & in omnes, & ſingulas noſtras domos: abſoluta etiam erit, ac plena, ita vt ex ſe nullius requiſito conſenſu, vel ſuffragio, ſtatuere, mandare, & exequi poſſit, quodcumque velit: dũmodo per has conſtitutiones id expreſsè non prohibeatur, aut aliquo modo eis aduerſetur; ſiue etiam de ſententia ſuorum Aſſiſtentium, aut aliorum quorumlibet illi deliberandum, & ſtatuendum non exprimatur. Nihilominus tamen in rebus grauibus, quæ conſultatione indigent, etſi ad id non obligetur, conſulat tamen ſuos Aſſiſtentes: conſilium enim velut ſolidum eſt in gubernatione munimen, & inde ſalus, leuamen, & vires. Cæterum non conſilia dumtaxat, ſed etiam vota omnino adhibeat in omnibus ijs, in quibus ea adhibenda eſſe legum noſtrarum præſcripto decernitur.

6. Munia porro Generalis hæc erunt, paſtoris more commiſſum ſibi gregem vigili obſeruantia cuſtodire; ſtatum Religionis efficacibus ſtudijs, ac promptis operibus promouere; moleſtis euentibus viam præcludere, indirecta dirigere, ſubtrahere

no-

noxia, ſalubria procurare; & denique vniuerſæ Religioni vbique locorum ſua poteſtate ſic intendere, vt & leges completa obſeruatione vigeant, & ſubditi ad deſtinatum finem per deſignata media dirigantur. Sed verò inter omnia Generalis munia, magnum habet momentum, prudentia, qua omnia luſtrans omnibus conſulat; præſertim autem videat, qua ratione Superiores omnes, & alij ad regiminis officia deputati ſe gerant, eoſque conſilio adiuuet; &, quando opus erit, reprehenſione, & correctione promoueat; intendat, num regularis diſciplina alicubi vacillet, num charitas tepeſcat, num alia fortè mala erumpant; &, quo decet ſtudio, opportuna remedia adhibere non negligat; hortetur, doceat, arguat, increpet, obſecret; & nil omittat, quod in tanti ponderis negotio prouidentiæ ratio poſcit.

7. Adiuuabitur autem in ſuo munere communibus medijs iam ſupra præſcriptis; inter quæ rerum, ac ſtatus Religionis notitia præcipuum erit: vnde oportebit, vt perſonarum omnium Religionis noſtræ ſiue profeſſionem emiſerint, ſiue in probatione verſentur, ſiue ſacerdotes, ſiue clerici, ſiue laici fuerint, catalogum ſingulis annis in quauis prouincia conficiendum apud ſe habeat; catalogum etiam domorum omnium, & collegiorum, eorumque bonorum; compendium denique ad ordinem redactum priuilegiorum, conceſſionum, & facultatum quæ à Sede Apoſtolica nobis conceſſa fuerunt Hinc enim fiet, vt, perſpecta omnia habens, bono Religionis proſpicere facilè poſſit.

8. Sed & medium inſuper efficax, exemplum vitæ, ac viuendi ratio erunt, quibus magis quàm verbo ſubditi reguntur; & ea propter Pater Generalis eamdem cum cæteris ſeruet normam diſciplinæ, communi menſa, communi victu, communi veſtitu vtatur: vnam ad ſummum duas, habeat cellas; in eis nihil apparatus, nihil ornatus, non lectum, non ſupellectilem, nihil denique habeat præcipuè præter cæteros: ob negotia tamen plurima, quibus ſemper eſt diſtrictus, laicum habeat vnicum, qui ei, vbi opus ſit, adminiſtret. Præterea inter omnia media, ipſius adiutores numeramus, qui ſunt Aſſiſtentes, Secretarius, ac Procurator generalis, à quibus in gubernationis onere ſubeundo leuabitur; & Aſſiſtentes quidem mente, & conſilio; Secretarius verò, ac Procurator rerum executione, & factis adiumenta præſtabunt, prout cuiuſque muneris ratio poſtulabit. Sed & maximè etiam proderit, ſi præter ordinarias conſultationes,

quas

quas cum omnibus Aſſiſtentibus habebit, vnius regionis negocia eiuſdem regionis Aſſiſtenti conſulenda committat, & cum eo conſultationem habeat:dummodo non ſit tale negocium, quod aliorum Aſſiſtentium vota requirat:tunc enim omnibus proponendum, & de eorum ſimul aſſenſu decernendum erit. Vltimo, &ſi omnis gubernatio plurimum viſitationibus adiuuetur, nihilominus tamen,ſi præter ordinarias viſitationes, quæ in ſingulis prouincijs ab ordinarijs viſitatoribus peragentur, velit etiam ipſe Generalis viſitare, id quidem per delegatos vbique, ſed rarò, & de Aſſiſtentium voto; & etiam per ſe, intra tamen fines Italiæ, efficiat. d. 1. R. n.4.

9. Sed iam vlterius de Generalis reſidentię loco decernimus, vt is non alius eſſe poſſit, quàm romana noſtra domus: adeo vt Roma diſcedere nequeat, niſi cauſa viſitationis, intra tamen fines Italiæ.Quod ſi etiam alia cauſa,vltra vnius menſis ſpatium, abeſſe debeat, ne proficiſcatur, niſi duo ſaltem Aſſiſtentes conſenſerint. Cum autem ſiue cauſa viſitationis, ſiue quauis alia, vltra diſtantiam itineris vnius diei,Roma diſceſſerit Generalis, conſultatio (quæ quidem abſente Patre Generali ex Aſſiſtentibus, & Procuratore generali conſtabit) illis ſolummodo negotijs perficiendis incumbet, quæ ipſemet Pater Generalis cum eadem,ſi Romæ adeſſet,conficere teneretur: adeo vt in ijs tantum caſibus cogatur, in quibus expreſsè ex legum noſtrarum præſcripto votum Aſſiſtentium, ſeu conſultationis generalis requiritur; & in illis etiam, qui in hac abſentia Patris Generalis ab ipſo eidem conſultationi decernendi committentur. Eadem inſuper generalis conſultatio literas omnes aperiat, quæ ad Patrem Generalem ſimul cum ſua conſultatione mittuntur;reliquas vero ad ipſum datas, vbi fuerit, quamprimùm mittere feſtinent, etiam ſi in ijs verbulum (*ſoli*) non addatur. Verumtamen quamuis conſultatio generalis in prædictis caſibus iam præſcriptis decernere poſſit, quod ei videbitur; conſentaneum tamen erit, vt quæ ad regreſſum vſque Patris Generalis differri poſſint, differantur. Cæterum volumus, vt Generalis ex Italia nequaquam migret; quod ſi Italiæ fines exceſſerit, eo ipſo Generalis officio, & dignitate priuatus exiſtat. d. 7. R. n.4.

10. Denique de Generalis duratione ſtatuimus, vt ſex annos perduret, & curam Religionis habeat tanto videlicet ſpatio quantum ab vno ad aliud generale capitulum interponitur: ſed tamen qui in defectu generalis fuerit infra ſexennij ſpatium ad d.1. c. 9. 18. d. 1. R. n.8.& ſupra c. 15. n.3.

hunc

hunc ipſum gradum aſſumptus, perdurabit ſolummodo ad ſequens vſque generale capitulum, in quo tamen nullatenus confirmari poſſe volumus.

11. Vltimo Generalis deſitio ab officio ſic procedat; per renunciationem quidem, aut translationem, vel per ſimplicem amotionem deſinere non poteſt: deſinet tamen vel per ſimplicem ceſſationem, elapſo ſui officij tempore, hac ratione, vt eius non ceſſet authoritas ſtatim, atque ſexennium fuerit elapſum, ſed duret eo vſque, donec in capitulo generali muneri ceſſerit ſuo: vel etiam per depoſitionem, de qua iam latè peregimus.

12. Cæterum ſiue per mortem, ſiue per depoſitionem, aut alia cauſa, infra ſexennij ſpatium, Generalis defecerit; interim donec alius de nouo creetur, primus Aſſiſtens ſtatim ipſo iure Generalis vices eadem poteſtate ſubeat; primus ſedeat, incedat, loquatur, iubeat: nec tamen noua Aſſiſtentis electio fiet, ſed Procurator generalis in Aſſiſtentis locum ſubintret, donec noua Generalis electio compleatur. Addimus tandem, quod Generalis, abdicato munere, quam ei libuerit ſibi domum eligere poſſit, in qua cōmoretur ad aliud vſque generale capitulum; d. 1: R. n. 8. niſi fuerit ad aliud regiminis munus electus, vel ad aliud onus in alia domo ſubeundum à Patre Generali deputatus.

CAPVT XIX.

De Aſſiſtentibus Præpoſiti Generalis.

1. CVm certum ſit eum, qui præeſt non poſſe ſua ſcientia cuncta complecti, nec vnius mentem eſſe tantæ molis capacem; operę pretium eſt, vt alij etiam in partem ſollicitudinis aſſumantur. Ergo Præpoſitus noſter Generalis ſuos omnino habeat Aſſiſtentes, qui eum mente, & conſilio adiuuent.

2. Quorum proinde numerum in primis decernentes, volumus, vt non pauciores ſint, quam quatuor, ſinguli ex ſingulis nationibus eligendi. Sed & ſi nationum diuerſitas, & in plures regiones dilatata Religio, id aliquando expoſcet, quinque etiam eſſe poterunt, capituli generalis arbitratu.

3. Eorum autem qualitates huiuſmodi erunt, vt valeant

quod

quod ſuſcipiunt munus, cum dignitate exercere. Vnde ætate ſint maturi, natura pacifici, doctrina eruditi, probitate conſpicui; experientia probati; ad inuenienda ſolertes, ad implenda robuſti, ad celanda cautiſſimi, vt, miniſtrando conſilia, regant ipſi rectorem; denique ſint amore erga Religionem præcipua ratione affecti.

4. Impedimenta porro, ne quis ad hunc Aſſiſtentis gradum eligi poſſit, ea omnia erunt, quæ in communi præſcripſimus. ſupra cap. 9.

5. Vlterius autem ad hoc ipſum munus promotio electione peragetur, quæ quidem plena poteſtate in generali capitulo fiet, eo modo, qui iam eſt ſupra cap. 17. decretus; à quo etiam in eodem munere non niſi vnus poterit confirmari, dummodo ex tribus capituli partibus duæ concurrant. Si autem vel ob mortem, vel aliam ob cauſam Aſſiſtens aliquis, ante generale capitulum, defecerit, eum eligendi abſolutam facultatem Pater Generalis, eiuſque reliqui Aſſiſtentes, ac ſimul etiam Procurator generalis habebunt; a quibus ſimul congregatis alius de nouo, infra menſem, eligetur, in officio duraturus ad ſequens vſque generale capitulum. d. 3. R. n. 1. & n. 2. d. 8. c. g. 19.

6. Iam verò Aſſiſtentibus auctoritas in alios non competet, & ideo ius eis cæteros præcedendi nullum ſit, dum in romana domo cõmorantur, ſed in ſuo maneant antiquitatis loco; cum vero in domum alienam abierint, ſedeant quidem poſt vicarium, ſed præcedant cæteros omnes etiam antiquitate primos, & ibidem benedictionem à loci Præpoſito ne teneantur expoſcere; foras tamen ituri, & licentiam petant, & comitem, & quo ſint ituri, & quæ acturi ſignificent. Quæ omnia, quo ad locum, & benedictionem, eodem modo de Secretario, & Procuratore generali intelligi debent. d. 3. R. n. 3. & d. 22. n. 1.

7. Cæterum eorum munia erunt cum Patre Generali Religionis negotia expedire, eumque ſedulo, ac fideliter adiuuare.

8. Ad quæ rite præſtanda his medijs adiuuentur oportet; nempe priuata, & frequenti legum noſtrarum, ac priuilegiorum lectione, qua in iure noſtro eruditi euadentes, in conſultationibus non aberrent: charitatis vnione, qua cum Generali capite pluſquam cæteri colligentur; zelo, quo eiuſdem Generalis nomen, & auctoritatem apud alios omnes verbo, & exemplo tueantur; diligentia, & ſollicitudine, qua vocati à Generali ſtatim accedant, & ſibi commiſſa negotia compleant; libertate

in conſultationibus, qua quod ſentiunt liberè dicant, cum omni tamen humilitate, atque modeſtiâ: ſecreto, quo omnia celent, quæ in eiſdem conſultationibus peragentur: & denique perſonali reſidentia, & aſſiſtentia apud Generalem, qua poteſtas vnitur, & auctoritatis vis in regendo ſeruatur.

9. Sed de hac ipſa reſidentia vlterius decernimus, vt quoad locum romana noſtra domus eis deſtinata intelligatur; in qua etiam reſidet Generalis; quo ad tempus continuata eſſe debeat, vt niſi grauis vrgeat neceſſitas, nullo modo Roma diſcedere Aſſiſtens aliquis poſſit; ſed & ſi diſceſſione ſit opus, per menſem Generalis licentia ſatis erit; vltra menſem vero Generalis cum Aſſiſtentibus (ipſo, qui diſceſſurus eſt, excepto) eam concedent. Abſens autem non diu moretur, ſed quamprimum reuertatur. Interim tamen quoad vſque redeat, ſi quid occurrat, quod de Aſſiſtentium voto decerni debeat, vicem eius, qui abeſt, ſuppleat in omnibus, ac ſi Aſſiſtens eſſet, Procurator generalis: & ſi alter etiam Aſſiſtens eodem tempore abſit, ſubrogatus eo ipſo intelligatur Secretarius generalis, donec vnus reuertatur Aſſiſtens.

10. Sed tandem de Aſſiſtentium duratione ſtatuimus, vt ſex annorum ſpatio concludatur, quod ab vno ad aliud generale capitulum intercurrit; & adhuc ea, qua diximus, ratione poterit vnus dumtaxat confirmari. Qui vero infra ſexennium, ob alterius defectum, fuerit de nouo electus, perdurabit ad ſequens vſque generale capitulum, in quo per plura ſuffragia reeligi, & confirmari valebit. Poſtremo Aſſiſtentium ab officio deſitio inter varios modos iam ſupra deſcriptos, neque ſimplicem amotionem, neque translationem, neque renunciationem continebit; & ſolummodo deſinere poteſt vel per mortem, vel per ſimplicem ceſſationem, expleto tempore; vel per depoſitionem ob graue delictum, de quibus iam plenas tradidimus leges.

d. 3 R. n. 1.

CAPVT XX.

De Conſultatione generali.

1. AD prouidæ gubernationis ſedulam firmitatem neceſſe erit, vt à Generali cum ſuis Aſſiſtentibus conſultatio habeatur, in qua regiminis maximum pondus optima ſecuritate

repo-

reponimus, cum ibi prudenti ſagacitate vniuerſali bono facilè poſſit intendi.

2. Proinde inſtituenda erit huiuſmodi conſultatio, quoties Generalis ex præſcripto conſtitutionum, & aliarum legum noſtrarum, Aſſiſtentium vota tenebitur adhibere, & quoties etiam ipſimet Generali placuerit: non tamen poterit conuocari, aut cogi, niſi de ipſiuſmet Generalis auctoritate: alioquin nec legitimè coacta erit, nec aliquam vim, aut poteſtatem habebit: niſi dumtaxat in duobus caſibus, in caſu ſcilicet abſentiæ Patris Generalis ab Vrbe, vltra diſtantiam itineris vnius diei: tunc enim conſultatio ex Aſſiſtentibus, & Procuratore generali conſtans, poterit conuocari, & ſua auctoritate negotia, quæ occurrent, expedire; eo prorſus modo, qui iam ſupra cap. 18. eſt præſcriptus, & non aliter: & ſimiliter in caſu, quo Generalis ob mortem, vel aliam ob cauſam ab officio deſierit; eo enim tempore vſque ad nouam Patris Generalis electionem legitimè coacta intelligetur. d. 7. R. n. 4.

3. Iam vero perſonæ, quibus hæc conſultatio componetur, quæque in ea ius ſuffragij habebunt, erunt ſolummodo Pater Generalis, eiuſque Aſſiſtentes, & quandoque etiam, ſed in caſibus expreſſis, Procurator generalis, & in expreſſis etiam caſibus idem ſuffragij ius generali Secretario in ea competet: qui proinde ſemper, quoties ea inſtituetur, præſens aderit; vt quæ proponenda quæue diſcutienda erunt, ſcripto excipiat, & alia perficiat, quæ ex peculiari munere ei incumbunt. d. 7. R. n. 1. & 3.

4. Sed vlterius eiuſdem conſultationis auctoritas plena, & abſoluta ſemper erit, & non ab alia noſtræ Religionis poteſtate dependens, præterquam ab ipſis legibus noſtris, in omnes vbique domos Religionis ſe extendet, omnibus præerit.

CAPVT XXI.

De Secretario generali.

1. STatutos gradus in generali regimine proſequentes, ſecretarium inter eos iure, ac merito collocamus, qui fideli integritate diligens in gubernatione operarius adſit.

2. Talis autem ad hoc munus aſſumatur, qui fidelitate præditus, ad vſum ſcribendi peritus, ſollicitudine, & diſcretione

conſpicuus; recto agendi modo cum omni hominum genere, verbo, & literis pollens dignè valeat ſua munia exercere.

3. Eius promotioni communia impedimenta iam ſupra diſpoſita obſtabunt.

Supra cap. 9. 4. Electione autem hæc promotio fiet, & non niſi à generali capitulo, ea ratione, quam ſuo loco tradidimus; nihilominus tamen, ſi infra ſexennium, vel per mortem, vel aliam ob cauſam ab officio deſierit, alius infra menſem à Patre Generali cum

d. 3. R. n. 7. Aſſiſtentibus eligetur; poterit etiam, ſed non niſi ex voto duarum partium capituli confirmari.

5. Proinde eius munia erunt, archiuij generalis curam habere, conſultationibus generalibus intereſſe, & ibi, quæ ſcripto excipienda erunt, conſcribere, negotia à Generali, vel eius commiſſione, cum Summo Pontifice, vel alijs pertractanda, ad capita quædam ordinatè redigere: capita eorum, quæ cum Aſſiſtentibus diſcuti debent, ex præſcripto generalis, colligere: ſummam ex literis, & alijs omnibus, quæ ſcripto ad Generalem deferuntur, conficere; eiſdem literis reſcribere, quibus vel Generalis ſubſcribat, vel ex eius commiſſione ſecretarius ipſe: & denique alia actitare, quæ generalis regiminis ſecretarium decent.

6. Sed vt facilius hoc poſſit munus obire, inter alia media neceſſe erit, vt ei à Patre Generali tot ſocij variarum linguarum peritia præditi adiungantur, quot opus erunt habita rerum, temporum, & perſonarum ratione; occupationes etiam, quæ ei in ſuo munere poſſunt obſtare, præcidantur. Ipſe vero ſecretarius, tanquam præcipuo medio, ſecreto adiuuabitur, vnde ſic ſe gerat, vt fideli integritate velut conceptaculum ſit, quod audita cuſtodiat, ſuſcepta non fundat.

7. Vlterius autem, ad eius reſidentiam, domum Generalis deſtinamus, à qua vltra menſem abſens eſſe non poterit, niſi Pater Generalis, de Aſſiſtentium voto, licentiam dederit.

8. Durabit in officio ſex annos, quot ſcilicet inter vnum, & aliud generale capitulum intercedet. Qui vero intra ſexennium electus fuerit, ad primum vſque generale capitulum excurret.

9. Deſinere autem ab officio poteſt ſicut per ſimplicem ceſſationem, expleto tempore, ſic etiam per depoſitionem ob

d. 3. R. n. 6. aliquod crimen; nullo tamen modo vel per ſimplicem amotionem,

nem, vel per translationem ad aliud munus; vel etiam per officij renunciationem.

CAPVT XXII.

De Procuratore generali.

1. GEneralis gubernatio ſicut mente, & conſilio à Patre Generali, & Aſſiſtentibus dirigitur, ita vnius Procuratoris ſtudio, ac labore perficitur; qui quidem ad totius ordinis negotia Romæ peragenda omnino neceſſarius erit.

2. His tamen qualitatibus inſignitus, vt ſollicitudine impiger, in agendo dexter, ſagacitate velox, experientia doctus, prudentia cautus, negotia quamprimum optato euentu expediat: ſit etiam moribus integer, vt virtutum exemplo maiorem in expeditione vim habens adiuuetur; fidelitate præſtet, vt ſecurè in eo Religio conquieſcat; animi fortitudine, & corporis viribus polleat, ne ob difficultates ab incepto deſiſtat.

3. Impedietur etiam, ne quis poſſit ad hoc munus aſſumi, illis ipſis obſtaculis, quæ vt cæteris communia præſignauimus. ſupra cap. 9.

4. Electione à generali capitulo aſſumetur, duraturus in officio toto ſexennij ſpatio, ad aliud vſque, quod ſubſequetur capitulum: ſi tamen ob mortem, vel alia ratione infra hoc tempus defecerit, alius infra menſem à Generali, & Aſſiſtentibus de nouo creabitur, duraturus in officio vſque ad ſequens generale capitulum; confirmari etiam poterit, ſi duæ capituli ſuffragiorum partes concurrant. d. 3. R n. 2.

5. Sua munia erunt vniuerſi ordinis negotia diligenter peragere, ex præſcripto tamen Patris Generalis; cui etiam omnia referat, quæ geſſerit: nec vllo modo poterit ſine ipſius Generalis conſenſu quidquam, etiam ad Religionis bonum attinens, procurare; et, ſi aliter fecerit, ſufficiens hæc cauſa erit, vt ab officio deponatur, iuxta ea, quæ iam ſupra latè diſpoſuimus. Quodlibet ergo negotium, à quocumque ſiue noſtrum, ſiue aliorum nomine fuerit ei commiſſum, antequam illud ſuſcipiat, ad Patrem Generalem ſimpliciter rem omnem deferat. Cæterum præter eum nemo poſſit, ſine ſpeciali Generalis facultate, ſe ſe vniuerſalibus negotijs immiſcere. d. 4. R n. 1. &c. d. 1. n. 3.

6. Vt

d. 4. R. n. 3. 6. Vt autem adiuuetur, ſocium habeat vnum, qui domeſticis miniſterijs, vel alijs officijs implicatus non ſit, & ad nutum ipſius Procuratoris præſto adſit, quoties vel exire, vel quid aliud neceſſe erit. Nihilominus tamen prætextu huius officij nullo modo quicquam prælationis, aut priuilegium ſibi poterit vendicare, nihil inde aut commodi, aut vtilitatis referre; reſidentiam Romæ habebit in ipſa domo Generali: extra vrbem vero vltra menſem abeſſe, ſine Generalis, & Aſſiſtentium voto, non ei licebit.

d. 3. R. n. 6. 7. Poſtremo quod ad deſitionem attinet, nullo modo per officij renunciationem, aut per ſimplicem amotionem, ſiue etiam per tranſlationẽ ad aliud gradũ deſinere poteſt, ſed ſolummodo per ſimplicem ceſſationem, elapſo tempore, vel infra tempus per depoſitionem, de qua ſupra.

CAPVT XXIII.

De gubernatione prouinciali in vniuerſum.

1. POſt generalem poteſtatem, quæ religioſos omnes vbique gentium reſpicit, alia deſtinetur oportet; quæ multa loca, & ibi degentes religioſos gubernet; generali poteſtati inferior, eique ſubiecta, ſuperior tamen locali, ac proinde velut media inter vtramque, illius quidem generalis aliquo modo vices ſupplens, localem autem maiori quadam auctoritate dirigens.

2. Ergo vniuerſa noſtra Religio in varias prouincias diſtribuatur; & ſingulis ipſis ſua, quæ videbuntur, loca attribuantur; hanc tamen prouinciarum conſtitutionem, ac diuiſionem, ſicut etiam attributionem locorum, generale capitulum faciet: eiuſque diuiſioni omnino ſtetur.

d. 10. R. n. 1. & 23. 3. Proinde ſingulæ prouinciæ ſingulas habeant gubernationes prouinciales. Et ipſa etiam romana prouincia ſuum habebit à Præpoſito Generali diſtinctum Prouincialem, ac proinde prouinciale regimen totum.

4. Vnaquæque porro domus, ac loca omnia, omneſque, & ſinguli religioſi tam ſubditi, quam ſuperiores in qualibet prouincia degentes ſuæ prouinciali adminiſtrationi, eiuſque poteſtati ſubdantur: excipimus dumtaxat domum reſidentiæ generalis,

quæ

quæ ſemper à quolibet prouinciali regimine exempta habebitur, & ſolummodo immediate ſubdetur ipſimet Præpoſito Generali.

5. Hæc denique prouincialis gubernatio per ſuos gradus diſtinguetur: & in primo prouinciale capitulum erit, in ſecundo Præpoſitus Prouincialis, in tertio Aſſiſtentes, in quarto conſultatio prouincialis, in quinto prouinciæ Secretarius, in ſexto viſitatores, in ſeptimo demum duo procuratores, qui ad generale capitulum nomine prouinciæ deſtinantur. d. 7. R. n.2.

CAPVT XXIV.

De capitulo prouinciali.

1. TOtius prouinciæ robur, vnitas, augmentum, cuſtodia ex prouincialis capituli celebratione dependent, in quo ſane deprauata corrigi, ſuperuacanea reſecari, obſeruantiam promoueri facile ſemper erit. Et ea propter illud in qualibet prouincia ſerio celebrandum decernimus.

2. Et quidem quod ad tempus attinet, tertio quoque anno cogetur ea ratione, vt bis intra ſexennij ſpatium, quod inter vnũ, & aliud generale capitulum interponitur, celebretur. Prima quidem vice poſt ſanctum Paſcha, quod proximè ad generalis capituli celebrationem ſubſequetur; ſecunda vice poſt elapſos tres annos ab ipſo primo prouinciali capitulo celebrato: dies vero, ad vtrumque inchoandum, erit ſemper vbique feria ſecunda hebdomadæ ſecundæ poſt ipſum ſanctum Paſcha. d. 10. R. n. 1. Et d. 8. R. n. 2.

3. Sed & pro loco, ſedeque capituli domum reſidentiæ Prouincialis deſtinamus. d. 10. ſup. citatum.

4. Perſonæ autem, quæ ad illud conuenient, quæque in eo ius ſuffragij habebunt, erunt Pater Prouincialis, quatuor eius Aſſiſtentes, prouinciæ Secretarius, Præpoſiti omnes quarumlibet domorum, cuiuſcumque generis eiuſdem prouinciæ, Viceprępoſitus item domus reſidentiæ Prouincialis, & ad prouinciale capitulum romanæ prouinciæ Vicepræpoſitus Generalis. Conuenient item ad prouinciale capitulum viſitatores illi, qui, proximo ante capitulum anno, prouinciam viſitauerint, modo viſitationem expleuerint; quocirca, ne infecta viſitatione, capituli tempus ſuperueniat, ſtatuimus, vt viſitationem perficiant ante ſex menſes, quam capitulum inchoetur. Deniqúe ſinguli procurato- d.5. R.n. 10. & d. 10. R.n.2 & d. vlt. R.n. 2.3. & 4. & d. 8. c.g. 18. d.8. R.n. 2. d. 20. R. n.7.

res ſingularum domorum hoc intuitu deſtinandi, ad idem capi-
d. 3. c.g. 19. tulum venient, de quorum electione infra agetur. Verum ex domo reſidentiæ ſiue generalis, ſiue prouincialis conſtitui procurator, vel mitti non debet; ſi autem Præpoſitus quis, vel Vicepræ-
d. 10. R. n.6. poſitus domus generalis capitulum adire non poterit, mittat eo quempiam ex Patribus capitularibus deciſiuæ vocis ſuæ domus, quem ipſe velit. Denique Pater Generalis capitulis prouincialibus, quæ intra fines Italiæ celebrantur; extra Italiam enim egredi nequit; poterit ad libitum intereſſe: nullatenus tamen quempiã ſuo nomine, ſiue ad capitula Italiæ, ſiue ad alia extra Italiam mittere ei licebit.

5. Iam verò præter hos, quos enumerauimus, nemo ad capitulum veniat, nec etiam vicarij domorum, niſi capitulariter, vt
non habet locũ ex d.3.c. g.19. procuratores ad capitulum, eligantur: neque ad ciuitatem, vbi capitulum celebrabitur, quis accedere poſſit, niſi Pater Generalis, vel Prouincialis ex grauiſſima cauſa conceſſerit, & licentiam ſua manu ſcriptam dederit. Qui ſine huiuſmodi licentia venerit, ipſiuſmet capituli arbitratu mulctetur.

6. Officiales proinde capituli, qui ad eius directionem neceſſario requiruntur, huiuſmodi erunt videlicet, Præſes qui qui-
d.5. R.n. 5. 6.& 7. dem in primo capitulo, quod immediate poſt generale cogetur, erit ipſe Prouincialis, qui nouiter in generali capitulo fuerit electus, vel eo abſente primus Aſſiſtens: in ſecundo verò, quod peracto triennio celebrabitur, alius de nouo eligetur, nec vllo modo ipſe Prouincialis poterit hoc munere fungi; ſi autem in aliquo Generalis interſit, ipſemet præſidebit. Porto præter Præſidem alius deputabitur, qui ſecretarius exiſtat: tres inſuper cauſarum reuiſores, qui dubitationes o.tas expediant, & cauſas referant; tres etiam, vel quatuor deputati, qui cum Præſide decernant, quæ in capitulo proponenda, quæque reijcienda erunt; quatuor denique definitores, qui cum Prouinciali, & Aſſiſtentibus Præpoſitos, & nouitiorum magiſtros eiuſdem prouinciæ eligant. Horum autem officialium auctoritas, & munus durante capitulo permanebit, quo abſoluto ceſſabit; eligentur autem, per ſecreta ſuffragia, ex eorum numero, qui in capitulo conuenerunt

7. Sed vlterius, quod attinet ad ordinem, in prouinciali capitulo obſeruandum, idem prorſus erit, quem ſupra pro gene-
cap. 17. rali capitulo præſcriptum tradidimus.

8. Auctoritas verò diuerſa ſit; quandoquidem volumus, vt prouinciale capitulum nihil ſtatuere poſſit, quod nouas leges

mo-

moreſque inducat, præter cæterarum prouinciarum mores, ac leges; nihil, quod vnam prouinciam in duas pluresue diſpertiat; nihil, denique quod conſtitutionem aliquam, vel obſeruantiam, aut quamlibet aliam vniuerſalem legem, vel etiam generalium capitulorum ſtatuta, aut Præpoſiti Generalis ordinationes infringat, aut aliquo modo labefactet; hæc omnia ad generale capitulum ſpectabunt. Imo ne conſultationis quidem prætextu agere ei licebit de ſubſtantialibus inſtitutis, qualia ſunt ea omnia, quæ in conſtitutionibus continentur. Cæterum poteſtas eius circa electiones infra deſignandas verſabitur itemque ad ea ſtabilienda extendetur, quæ legibus noſtris conſeruandis, & promouendis conferent. Denique omnia poterit, quæ per has, & alias vniuerſales leges ei fieri non prohibentur. Verum omnino volumus, vt quæ ab eo ſtatuta fuerint, vim aliquam non habeant, donec conſultationis generalis confirmatio acceſſerit: quæ tamen confirmatio neceſſaria non erit in electionibus, quæ fient.

9. De actibus autem in hoc capitulo peragendis in vniuerſum ſtatuimus, vt omnes à ſecretario excipiantur, & in prouinciali libro capitulorum prouincialium, lingua latina, & ſeſſionum ordine conſcribantur; & qui in vna ſeſſione peracti fuerint, in ſubſequenti patrum ſubſcriptionibus muniantur. Ex quibus inſuper in fine capituli ordinate colligantur ea, quæ fuerint ad obſeruantiam promouendam conſtituta, vt Generalis confirmatione præhabita, alijs publicari poſtmodum poſſint. Actus vero ad viſitationes, & cauſarum iudicia ſpectantes, ſeiunctim in alijs chartis conſcribantur.

10. Sed in particulari ſingulos actus diſponentes, omnes, qui ad inceptionē, & præambula ſpectant, ijdem prorſus erunt, qui in generali capitulo peraguntur, eodem ordine, eodemque modo. Excipimus dumtaxat abdicationem officij Prouincialis, & electionem Præſidis, quæ in primo capitulo fieri non debent, cum ibi Prouincialis præſideat.

11. Adiungimus autem, quod Præſes breui ſermone patres ibi congregatos ad ea cogitanda hortetur, quæ ad prouinciæ commodum, diuini nominis gloriam, regulæque obſeruationem cedant; & denique Patris Generalis, ſi adſint, literæ, & aliæ etiam ab alijs ad capitulum datæ prælegantur.

12. Mox ad actus deuenietur, qui ad proſecutionem attinēt, & propter quos ipſum capitulum eſt coactum; inter quos primus erit ordinationes efficere, ſi quæ peragandæ occurrunt, & alia

diſponere, quæ poſſunt obſeruãtiam promouere, intra limites tamen ſuæ, quam habet, poteſtatis, de qua ſupra. Secundus erit negotia expedire, ſi quæ expedienda ſe offerent, prout occaſio poſtulabit. Tertius erit cauſas iudicare, & præcipuè quæ in viſitationibus continentur.

13. Vltimus erit electiones efficere, inter quas prima in ordine ſit alicuius conſultiui ad vocem deciſiuam electio, in eo tamen caſu, in quo hanc eligendi poteſtatem capitulo prouinciali conceſſimus, & eam ſupra cap. 8. huius quartæ partis præſcripſimus.

d. 16. R. n. 1.

14. Conſequitur deinde per ſecreta ſuffragia eorum nominatio, qui à procuratoribus prouinciæ, vt eligibiles ad vocem præſentandi eiuſdem prouinciæ nomine generali capitulo erunt; verum hæc nominatio non in primo, ſed in ſecundo prouinciali capitulo fiet.

15. Vlterius autem in eodem ſecundo capitulo Præpoſiti Prouincialis electio ſubnectetur, hac tamen ratione, vt qui eligendus erit, ex eorum dumtaxat numero aſſumatur, quos Pater Generalis de voto ſuorum Aſſiſtentium ad idem prouinciale capitulum nominatos dederit. Volumus enim, vt legitimam Prouincialis electionem, hæc poſita nominatio à Generali præcedat; nominationem autem prænominatio ab eiuſmodi prouinciæ patribus peragenda. Ergo in primis ſex menſibus ante prouinciale capitulum, electis, vt illi capitulo, interſint procuratoribus cuiuſque domus, fiat prænominatio hac ratione, vt Prouincialis eiuſque Aſſiſtentes, Præpoſiti item domorum, Vicepræpoſitus, viſitatores, ac procuratores electi quiſque ex ſe duos Patri Generali prænominet, quos in ea prouincia ad prouinciale regimen aptiores credit. Verum ita ſecreto, vt nullo modo aliis quibuſque hæc prænominatio oſtendatur, & quam quiſque efficiet, ſilentio inuolutam in pectoris arcano reponat, & condat: ſed & ſcriptam ſigillo claudat, & ad Patrem Generalem mittat, à quo cum Aſſiſtentibus ſimul aperienda erit, & legenda. Quod ſi quis alius eam aperire præſumpſerit, ipſo facto, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrat.

inl vtroque prius eligatur Viſitatores, ſeu Procuratores: d. 5. R. n. 5. & d. 20 n. 1. & 4.

d. 23. R. n. 1. & d. vlt. n. 3.

d. 23. citatũ n. 1.

16. Iam vero ſingulis prænominationibus habitis, Pater Generalis cum Aſſiſtentibus ad plura ſuffragia nominationem ex prænominatis faciat: ſic tamen, vt ſi ij prænominati plures ſint, quam quinque, non minus quam quinque nominentur: ſed ij tamen, qui in prænominationibus plura ſuffragia habuerunt: niſi Patri

d. 7. c. g. 19.

Ge-

Ge nerali, & Aſſiſtentibus conſtet alios, qui in eiſdem prænominat ionibus minora ſuffragia habuerunt aptiores eſſe; in quo ſane ipſorum conſcientias oneramus; ſi vero prænominati vel quinque ſint, vel minus quam quinque, illi ipſi à Generali nominati mittantur.

17. Proinde nominatio hæc, qualicumque ratione fiat, ſubſcribenda ſimul erit ab ipſo Patre Generali, eiuſque Aſſiſtentibus, ac ſecretario; & deinde clauſa, & ſigillo munita ad capitulum prouinciale mittatur, nec vllo modo, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, poterit à quoquã aperiri; niſi dumtaxat in pleno capitulo prouinciali, vbi coram omnibus congregatis à capituli ſecretario perlegatur; & hoc modo publicatione facta nominatorum, procedatur ad electionem Prouincialis, quæ omnino ad ipſos nominatos arctabitur, nec extra eos alius eligi poſſit, alioquin ipſa electio inualida prorſus erit. Quod ſi infra diem, ab ipſa nominationũ publicatione, neminem ex nominatis elegerint, is electus legitimè ipſo iure habeatur, qui in nominatione Patris Generalis primus erit conſcriptus.

d.23.ſup. citatum q.1.

18. Sic autem Prouincialis electione peracta, conſequenti ordine quatuor Prouincialis Aſſiſtentes eligantur; & poterunt etiam omnes confirmari: fiat autem huiuſmodi ſiue electio, ſiue confirmatio, tam in primo, quam in ſecundo capitulo; & in primo quidem ſtatim poſt electionem deciſiuorum, ſi facienda ſit; in ſecundo vero poſt electionem Prouincialis, vt dictum eſt: Aſſiſtentibus autem electis, eligetur deinde prouinciæ ſecretarius.

Prouincialis electus tenetur iurare iuxta formam in d.1.R. n.3.

19. Sed fiet præterea in ſecundo capitulo electio duorum procuratorum, qui nomine prouinciæ ſimul cum Prouinciali generale capitulum adeant; & ſimul etiam duo alij patres eligantur, qui eorumdem procuratorum ſubſtituti vocentur, et exiſtant: vt ſi forte procurator quis vel morte, vel alia ratione defecerit, eius locum per ſubſtitutum, antiquitatis ordine ſeruato, ſuppleatur.

d. 20. R. n.1. & 4.

d. 20. R. n.4.

20. Poſtmodum quatuor definitorum electio peragetur, qui cum Prouinciali & Aſſiſtentibus definitorium ingreſſi, Præpoſitos, & nouitiorum magiſtros eligant; volumus enim vt ab his dumtaxat nouem viris, ex quorum numero vnus conſtituetur definitorij ſecretarius, huiuſmodi Præpoſitorum, & magiſtrorum electiones compleantur. Quibus expletis in pleno capitulo alijs patribus publicentur.

21. Poſtremo actus, qui ad capituli terminationem attinent,

nent, illi ipſi in prouinciali capitulo fiant, quos iam ſupra pro generali conſcripſimus. cap. 17.

22. Sed vltimo loco tandem de capituli duratione, & terminatione ſtatuimus, vt quamprimum expediatur, non tamen ad libitum Prouincialis, ſed ad maioris partis aſſenſum. Terminabitur autem ritibus, & cæremonijs, qui in libro de ritibus habentur, mox in ſuam quiſque domum commigret.

CAPVT XXV.

De Præpoſito Prouinciali.

1. TOtius prouinciæ regimen extra tempus capituli vnus ſubire debebit, qui Præpoſitus Prouincialis uocabitur, cui omnia eius prouincię loca,& perſonæ ſpeciali obediētia ſubijciantur oportet.

2. Eius qualitates, vt ad hoc munus aſſumatur, requiſitæ erunt aetatis maturitas, vitæ integritas,morum probitas, experientia, ſcientia, & doctrina; & æquum etiam eſſet, ſi antea ſuperior localis extitiſſet, vel aliud officium exercuiſſet.

ſup. c. 9. 3. Impedimenta ei obſtabunt, quæ in communi præſcripta cæteris obſtacula præbent.

4. Proinde eius electio tempore capituli generalis ab eodem capitulo fiet, ſed triennio elapſo à prouinciali capitulo peragetur. Interim ſi ab officio defecerit, ſiue intra primum, ſiue intra ſecundum triennium, ſufficietur alius, & de nouo creabitur à Generali de ſuorum Aſſiſtentium voto.

5. Porro Prouincialis auctoritas iuriſdictione in ſingula ſuę prouinciæ loca & perſonas conſtabit, & omnia facere poterit, quæ per has conſtitutiones ei facere non prohibentur, & quæ Patri Generali non reſeruantur; poterit autem ipſe Generalis Prouincialibus regionis longinquæ ampliorem auctoritatem de ſua, quam habet ad libitum impartiri, prout locorum,& perſonarum ratio expoſcet. Ita tamen vt,quæ Generalis facere non poteſt;ſine Aſſiſtentium voto,peculiarem in illis auctoritatem ſine eorumdem conſenſu non concedat. d.5.R.n. 2.

6. Præterea verò munia, & actus à Prouinciali exercenda in eo poſita erunt, vt prouinciam ſibi commiſſam, ad legum noſtrarum normam,dirigendo gubernet; & idcirco vbi primum

quis

quis Prouincialis electus fuerit, per omnes ſuæ prouinciæ domos, & collegia mentis oculos circumferat, ac pro ſuſcepti muneris officio in eam curam incumbat, vt ſingulorum adminiſtratio locorum recte fiat, & tandem, quæ munia in vniuerſa Religione Generalis exercet, ea ipſe in ſua prouincia præſtet.

7. Ad hæc medijs illis iuuabitur, quæ ſupra in communi deſcripſimus, & quammaximè etiam proderit ſi Generali deferat, & eius, ac etiam localium Superiorum ſuæ prouinciæ auctoritatem apud ſubditos tueatur; ſi oborta mala ſtatim in initio eradicare conetur; ſi ſollicite animum ad regimen applicet; ſi omnes paterna prouidentia complectatur; ſi ſuo tempore ſeueritatē cum benignitate miſceat; & huiuſmodi alia, quæ ad regimen promouendum conferunt; quæ quidem omnia toto niſu arripere, & opere ipſo complere debebit. cap. 14.

8. Iam vero ad Prouincialis reſidentiam deſignatus locus ea domus erit, quam prouinciale capitulum deſtinauerit; atque in ea Superior localis Vicepræpoſiti nomine appelletur. Sed licet ordinarie ibi degere debeat Prouincialis, congruum tamen erit, vt ſingula loca totius prouinciæ quandoque inuiſendo percurrat: id quod præcipue, viſitationis tempore, opportune efficiet, prout infra dicetur, cum de viſitatoribus agemus. Cæterum extra prouinciam nequaquam egredi poterit, neque ad paucos dies, niſi tres ſaltem Aſſiſtentes conſenſerint, & tunc ne prouincia ſuo careat capite, remaneat conſultatio prouincialis ex Aſſiſtentibus, & ſecretario conſtans, qui omnes in ea ius ſuffragii habebunt, & negotia expediant, prout de conſultatione generali in abſentia Generalis præſcripſimus; quæ enim ibi dicta ſunt, hic applicari debebunt. d.5. R.n. 3. infra cap. 18. d.5. R. n. 8. ſup. c. 20.

9. Poſtremo de Prouincialis duratione, & deſitione ſtatuimus, vt duratio quidem per triennium percurrat: item vt qui in capitulo generali ad primum triennium ſit electus, in prouinciali capitulo ad alterum triennium confirmari non poſſit: ſed alius de nouo, ea, quam diximus, ratione eligetur. d.5. R.n. 5. & 7. ſup. c. 15.

10. Deſitio autem omnes complectitur modos ſupra in communi diſpoſitos, præter quam ſimplicem amotionem: ſed vero quacumque ratione ab officio infra triennium defecerit, alius à Patre Generali, eiuſque Aſſiſtentibus infra tres menſes de nouo creetur, qui ad officium perduret, ad aliud vſque, quod ſubſequetur, ſiue generale, ſiue prouinciale capitulum; interim vero primus prouincialis Aſſiſtens, Prouincialis vices, eadem poteſtate d. 43. R. n. 2. & 3. d.5. R.n. 7. & 8.

ſtate ſubeat; & prouinciæ ſecretarius in eiuſdem Aſſiſtentis locum ſubintret.

CAPVT XXVI.

De Prouincialis Aſſiſtentibus, & Secretario.

1. VT in ſuo regimine Præpoſitus Prouincialis, tum conſilio, tum opere adiuuetur, Aſſiſtentes ei, & Secretarius neceſſario tribuentur.

2. Et Aſſiſtentes quidem numero quatuor erunt.

3. Quorum electio in prouinciali capitulo ad triennium fiet, à quo etiam poterunt confirmari. Si vero infra illud triennij ſpatium quis eorum aliqua ratione ab officio defecerit, alius in eius locum, infra menſem, de nouo creabitur à Prouinciali, de ſuorum Aſſiſtentiũ, & ſecretarij voto; & interim ipſemet ſecretarius eius, qui deſijt, ſubeat vices. Qui vero fuerit de nouo creatus, in officio perdurabit ad ſequens vſque prouinciale capitulum.

d. 6. R. n. 1. 4. Eorum reſidentiæ illa domus deſtinata intelligatur, quæ fuerit ad reſidentiam Prouincialis deputata; ibique apud eum maneant, & continuo ei aſſiſtant: nec vltra menſem, ſine graui ratione, & Prouincialis, aliorumque Aſſiſtentium licentia, quis eorum abeſſe poterit; ſed & ſi abſens ſit, ſiue infra, ſiue vltra menſem, ſtatim reuertatur, & interim ſecretarius eius

d. 7. R. n. 2. vices agat: & ſi alium Aſſiſtentem eodem tempore abeſſe contingat, primus conſultor eius domus in eius locum ſubrogatus habeatur.

d. 6. R. n. 2. 5. Denique horum Aſſiſtentium qualitates, impedimenta, auctoritas, munia, ac ea, quibus iuuantur media, eadem omnino ſint, ac ea, quæ de Generalis Aſſiſtentibus præſcripſimus, proportione ſeruata.

ſup. c. 19. 6. De eorum autem deſitione nil aliud addendum eſſe

ſup. c. 15 cenſuimus, præter ea, quæ de deſitione ſanciuimus in communi.

7. Iam verò quoad prouinciæ ſecretarium attinet, eius quidẽ

ſup. c. 21 qualitates, & impedimenta eadem ſint, quæ generalem ſecretarium attingunt.

8. Eius electio in capitulo prouinciali ad triennium peragetur, à quo poterit confirmari; infra triennium ſi defecerit, à Prouin-

ciali,& Aſſiſtentibus alius infra menſem eligetur ad ſequens vſque prouinciale capitulum.

9. Reſidebit in eadem Prouincialis domo, nec inde vltra menſem,ſine Prouincialis, & Aſſiſtentium voto, abeſſe ei licebit. d.6.R.n.1.

10. Munia, quæ præſtabit eadem erunt,proportione ſeruata, quæ generali ſecretario incumbunt. Denique deſitionem ad communes modos iam deſcriptos reuocamus.

CAPVT XXVII.

De conſultatione prouinciali.

1. SIcut ad regimen generale, generalis conſultatio neceſſario adhibetur; ita eadem ratione prouincialis adminiſtratio prouincialem conſultationem expoſcit.

2. Quæ his perſonis conſtabit Prouinciali videlicet Aſſiſtentibus, & prouinciæ ſecretario,quamuis ius ibi ſuffragij Prouinciali, & Aſſiſtentibus ſolummodo competat, ſecretario autem non niſi in caſibus expreſſis: & in expreſſis etiam caſibus primus conſultor localis eiuſdem domus in eam ingredietur, & ius ſuffragij feret. d.7.R.n.2.

3. Inſtituetur proinde quoties Prouincialis aliquid de Aſſiſtentium voto decernere vel teneatur,vel ad libitũ velit. Sed vero ſine eius auctoritate conuocari non poterit niſi forte in abſentia Prouincialis à prouincia, & eiuſdem defectum ob mortem, vel aliam cauſam, vt ſupra iam decreuimus. cit. dec. n.4.

4. Poteſtas autem, ſeu auctoritas huius conſultationis plena erit, & abſoluta, quæ in prouincia extra tempus capituli eſſe poteſt; & omnes tũ perſonas, tum domus eiuſdem prouinciæ attinget. De actibus tandem, qui in ea peragentur,iam ſupra de actibus in communi tradidimus leges. cit. d.7. R.n.6. Sup.c.13

CA-

CAPVT XXVIII.

De prouinciæ viſitatione, ac viſitatoribus.

1. OBſeruantia regularis efficaci poteſtate ſubſiſtit, ſi viſitationis præſidia in quolibet prouinciali regimine ſtatuãtur: his enim facile errores abigentur, virtutes inſerentur, diſciplina vigebit; & quod à recto deuiare continget, ad regulare deduci poterit iter.

2. Ergo ſingulis annis ſingulæ prouinciæ viſitentur, & in ea-
d. 20. R. rum qualibet bini Viſitatores deputentur quotannis a Patre Pro-
n. 1. 2. & uinciali, de Aſſiſtentium voto, eligendi: niſi forte ipſemet Prouin-
3. & 7. cialis primo, vel ſecundo anno per ſe viſitare voluerit: tunc enim eius anni viſitatores conſtituendi non erunt: ſed ſatis erit, ſi ſecũ
d. 5. R. n. Prouincialis alium adhibeat, qui ſecretarij munere perfunga-
3. tur. Omnino tamen vltimo anno ante prouinciale capitulum à binis viſitatoribus cõſtituendis viſitatio peragatur. Sed & inſuper vltimo ante generale capitulum anno procuratores prouinciæ ad generale capitulum deſtinati adire debebunt prouinciam, & viſitatores ipſo iure exiſtant, nec ab alijs viſitatoribus de nouo conſtituendis, neque à Prouinciali eius anni viſitatio poterit aliquo modo expleri,

3. Proinde his qualitatibus prædìti ſint oportet, qui viſitatores eligi debent: nimirum maturitate, experientia, ſcientia, charitate, Religionis, & obſeruantiæ zelo, morumque integritate, ac probatæ vitæ.

4. Impedimenta autem, quæ communiter alijs obſtant, eo-
ſup. c. 9. rumdem promotioni obſtabunt.

5. Cæterum de viſitatorum auctoritate decernimus, vt in ordine ad ſe ipſos poteſtate ſint pares, adeo vt alter ſine altero
d. 20. R. nihil facere poſſit; & ideo prouinciam vnà viſitent, antiquior ta-
n. 4. men tum loco, tum rerum executione præcedat: vbi autem inter
cit. d. n. eos diſpar ſententia fuerit, eorum arbitrio alter eligatur ex capi-
5. tularibus eius domus, qui cum ipſis rem omnem decernat. Verum vnius ceſſabit auctoritas, vbi viſitanda erit domus, cuius ſuperior in primo, vel in ſecundo conſanguinitatis gradu ſit illi viſitatori
ibid. n. 6. coniunctus; & Prouincialis cum Aſſiſtentibus de altero viſitatore prouideat. Id ipſum fiat, vbi viſitatorem alterum de altero

opor-

oportebit cognoſcere. De auctoritate verò in ordine ad domum, quam viſitant, in primis in eius gubernationẽ nullo modo ſe ingerant, & quo ad regiminis iura, vt hoſpites habeantur; circa ea vero, quæ ad viſitationem attinent, plenam habebunt poteſtatem; nullam tamen omnino in Prouincialis perſonam, cui potius ſubditi in omnibus erunt: quamuis vltimo anno ante generale capitulum procuratores prouinciæ, qui quidem, vt dictum eſt, viſitatores erunt, excipere poterunt, quæ contra ipſum Prouincialem forte denunciabuntur, vt ea ad generale capitulum referant; ſic tamen, vt in eum nihil prorſus poteſtatis habeant. d. 21. R. n. 8. dicto d. 21. n. 6.

6. Iam verò quoad loca viſitanda volumus, vt omnes prouinciȩ domus, cuiuſque generis exiſtant, viſitentur; verum domus reſidentiæ Præpoſiti Generalis nequaquam à romanæ prouinciæ viſitatoribus, nec etiam vltimo anno ante capitulum generale poterit viſitari: ſed ſolummodo ab iis, quos ſpeciatim Pater Generalis ſingulis annis ad eam viſitandam deputauerit. d. 10. R. n. 3.

7. Vt autem integre, & facile viſitationis munia compleant, inter alia maxime proderunt virtutum exempla, quibus potius, quam verbis, aliorum defectus corrigere debent: & ideo caueant, ne munuſcula à religioſis, aut conſanguineis ipſorum opera erogata, & procurata accipiant; communi victu à die tertio, poſtquam adierint, ſint contenti; adiutorem, qui ſecretarij munus obeat in viſitationis actibus conſcribendis, nequaquam habeant, ſed ipſimet alternatim id operis præſtent. d. 20. R. n. 6.

8. Porro de viſitationis tempore decernimus, vt vltimo anno ante prouincialis, vel generalis capituli celebrationem, viſitatio omnino compleatur, ante ſex menſes, quam ipſum capitulum celebretur: cæteris vero annis quando Prouinciali videbitur. Sed caueant viſitatores, ne multum ſpatij in cuiuſlibet viſitatione inſumant, ſed conentur, quam citiſſime ſe expedire: & ea propter octo dies in ea perficienda non excedant, adeo vt his diebus elapſis omnino ceſſet ipſo iure viſitatio ordinaria; quod ſi pro aliqua peculiari cauſa Patri Generali, vel Prouinciali cum ſuis Aſſiſtentibus viſitatio proroganda videbitur; tunc vt delegati, & particulares, & non vt ordinarij viſitatores habendi erunt. decr. ante cit. n. 7. d. cit. n. 3

9. Sed iam ad actus tranſeamus, & ad rationem procedendi, quibus quælibet viſitatio perfici, & compleri debebit, &

p.2.c.10 n.4. in primis ſtatim atque domum viſitandam adierint, viſitationem aggrediantur, & Superiorem, ac religioſos (exceptis nouitijs, qui nondum profeſſionem emiſerint) in quem placebit locum conuocent, & ibi coram omnibus patentes literas ſui officij legi demandent: tum antiquior viſitator ſermonem ad eos habeat de rebus agendis breuem; moneat omnes, ne odio vel amore ducti, quæ dicenda ſunt, taceant, aut contra iam emendata, & ſilentio premenda (vt præcipuè ſunt ea, de quibus fraterna correctio non præceſſerit, vbi præcedere debuiſſet) producant.

d.21 c.g. 19. d.55. R. n.1.& 2. d.17.c.g. 19.

10. Deinde viſitationem à rebus ſacris auſpicentur, & diligenter inſpiciant quo nitore, qua decentia eccleſiæ cultui intendatur.

11. Poſtea reliqua proſequantur, quæ ad regularem diſciplinam attinent, ac ſingulos in peculiarẽ domus locũ accerſant; & prudenter ab eis ſtatum domus inueſtigent, & præcipue an regulæ, & conſtitutiones exactè ſeruentur; an cultus diuinus incrementum habeat; an paupertas, obedientia, oratio, chorus, concordia, pax, ſilentium, culparum in refectorio profeſſio, ac cæteræ mortificationes, ac circulares pœnitentiæ vigeant; an infirmi debita charitate curentur; quomodo nouitij rite educentur; quomodo ſtudia ſcholaſtica ferueant; quomodo charitas cum proximis tum in ſacramentis miniſtrandis, tum in verbo Dei exhibendo, tum etiam in reliquis vitæ actiuæ munijs exerceatur; & huiuſmodi cæteræ interrogationes pro loci, & perſonarum ratione prudenter fiant: verum quæ parui momenti ſunt, nullo modo ſcribant, neque ſcripto tradita ſuſcipiant.

d.21. R. n.3. et ibid. n.6. & 7.

12. Poſthæc ſingulorum cellas, officinas, ſupellectilem viſitent; nec aliquid ibi patiantur, quod noſtro inſtituto minimè congruat: videant, & diligenter inſpiciant, num ibi munditia ſeruetur, & ſerio prouideant, ne aliquo modo paupertas noſtra ſordibus deturpata iaceat.

d.56. R. nu.3.

13. Præterea accepti, & expenſi rationes accuratè ſupputent, eiſque ſubſcribant.

d.43. R. n.2.

14. Tandem, exploratis omnibus, res leues ipſi per ſe corrigant, nec eas Prouinciali, aut capitulo renuncient, quæ vero occulta indigebunt correctione, occultè admoneant. Si quid graue (quod Deus auertat) compererint, cui quamprimum remedium adhibere oporteat, & res ad Prouincialem tam cito defer-

d. 21.R. n.1. & 2.

deferri non poſſit, auctoritate vtantur ſua; ante tamen quam quidpiam exequantur, cum conſultoribus, aut certè cum Præpoſito, prout rem cenſebunt poſtulare, communicent: poſtea referant ad Prouincialem, aut ſcribant.

15. Omnia vero viſitationis acta ordinate diſponant, ijſque vterque viſitator ſubſcribat, &, conuocatis omnibus, ſermonem apud eos habeant; vbi vniuersè probent, aut improbent, quæ eis prouida conſultatione videbuntur, & hoc modo viſitationi terminum imponent. Ea porro viſitationis acta ad Prouincialem deferant, qui cum ſuis Aſſiſtentibus, illis perlectis, remedia opportuna, vbi opus erit, adhibeant. Verum procuratores prouinciæ, qui viſitationem vltimi anni, vt dictum eſt, efficient, etſi eius acta ad Prouincialem deferre debeant, nihilominus tamen, quæ contra ipſum Prouincialem denunciata, vel depoſita fuerint, ſecreto apud ſe retineant, & ea ſimul cum alijs actibus eiuſdem viſitationis ex originali tranſcriptis, & authenticatis generali capitulo præſentent. Cæterum ſi quis viſitatoribus, vt iudicibus, in ſcriptis falſum denunciauerit, pœna talionis mulctetur. d.ſup.citatũ n. 4. ibid.n.5: & 6.

16. Vltimo decernimus, vt Viſitatores itinerum impenſas è domibus, quas viſitauerint, petant.

CAPVT XXIX.

De prouinciæ procuratoribus, qui ad generale capitulum deſtinantur.

1. CVm generale capitulum ad vniuerſale Religionis regimen ordinatum, ex ſingularum prouinciarum patribus ſit cogendum, ne multitudine nimia obruatur, iuri congruum duximus, vt tres tantum, nec plures, ex qualibet prouincia cogerentur, videlicet Pater Prouincialis, ac duo prouinciæ procuratores.

2. Porro vt quæ attinent ad procuratores tradamus, in primis has in eis qualitates expoſcimus, vt digne poſſint ad hoc eligi munus, nempe religioſi ſtatus notitiam, obſeruantiæ zelum, experientiam, ſcientiam, doctrinam: vt eorum ſententia, conſilium, ac voluntas maximum in capitulo pondus habeant.

ſup. c.9. 3. Sed,ne eligi poſſint, communia impedimenta iam deſcripta obſtabunt.

4. Eorum autem electio in ſecundo prouinciali capitulo fiet, triennio, antequam generale celebretur. Ibique ſimul duo alij eligentur, qui ſubſtituti exiſtent: &, vbi procurator aliquis prouincialis, vel morte, vel alia ratione defecerit, eius vices ab vno ex ſubſtitutis ſuppleantur. (d. 20. R. n. 1. & 4.)

5. Auctoritas proinde eis nulla inerit, donec in generali capitulo, ſimul cum alijs, fuerint, & ideo in omnibus ſemper ſubditi permanebunt, ac ſi ad id officium non fuiſſent electi.

6. Ex præcipuo munere tenentur, antequam ad capitulum veniant, omnia, quæ ab eius prouinciæ religioſis ſcripto, vel verbo traduntur, vt in capitulo proponantur, fideliter excipere: ideoque ſex menſibus, antequam iter arripiant, ſingulis ad eos ſine ſuperioris licentia ſcribere licebit, nec literæ datæ poterunt ab aliquo, etiam Prouinciali, aperiri, aut legi; & eodem tempore ipſi etiam ad quoſlibet religioſos ſine licentia ſcribere poterunt. Ex proprio inſuper officij munere tenentur vltimo anno, vt dictum eſt, prouinciam viſitare: tempore autem congruo ad capitulum veniant, atque itineris impenſas à tota ſimul prouincia expoſcant. Proinde in capitulo negotia prouinciæ humiliter proponant, nec ita in eam propendant, vt Religionis vniuerſæ bono conſulere negligant; eos enim non vnius prouinciæ dumtaxat, ſed totius Religionis velut partes in capitulo eſſe oportet; itaque omnibus prouida circumſpectione intendant. (d. ſup. citat. n. 7.)

7. Sed, vt completè ſui muneris partes exequi poſſint, tanquã efficax medium frequentem conſtitutionum, & aliarum legum noſtrarum lectionem arripiãt: quare toto triennij ſpatio huic ſtudio incumbant, vt ſic in iure noſtro eruditi ad certum ſcopum ſua in capitulo conſilia dirigant.

ſup. c. 15 8. Cæterum eorum munus, abſoluto capitulo, deſinet; & deſinere etiam poteſt, antequam ad capitulum veniant, iuxta leges traditas de deſitione in communi.

CAPVT XXX.

De gubernatione locali in vniuerſum.

1. Localis gubernatio, quæ, cæteris inferior, immediata poteſtate, regiminis iura exercet, in omni domo, & collegio noſtræ Religionis inſtituenda neceſſario erit: nec vllo modo aliqua domus eſſe debet, quæ ſua locali adminiſtratione non regatur.

2. Proinde qui in vno loco degunt religioſi omnes, eiuſdem loci regimini immediatè ſubdentur. Ipſum autem locale regimen, ac eius loci perſonas gubernationi prouinciali, & generali ſubijcimus.

3. Adhæc, vt rite ordinetur, his gradibus, diſtinguatur oportet, prout etiam ſupra in principio diximus; primus, in quo locale capitulum ſtatuetur; ſecundus, in quo Præpoſitus; tertius, in quo vicarius; quartus, in quo præſes localis; quintus, in quo conſultores; ſextus, in quo ſecretarius; ſeptimus, in quo localis conſultatio; octauus, in quo procurator electus, qui ad prouinciale capitulum deſtinatur; nonus denique, in quo nouitiorum Magiſter in nouitiatibus coniunctis. ſupra cap. 6.

CAPVT XXXI.

De capitulo locali.

1. Cogetur hoc capitulum in ijs caſibus, in quibus eius aſſenſus, ex legum noſtrarum præſcripto, requiritur; ipſum verò cogendi auctoritas penes Præpoſitum erit; ſine cuius licentia nequaquam legitimè coactum intelligetur. d. 14. R. n. 4.

2. Perſonæ, quæ ipſum ingredientur, quæque in eo ius ſuffragij habebunt, erunt ſinguli capitulares eius loci, ſiue deciſiui, ſiue conſultiui, omneſque ingredi, & intereſſe teneantur; nec aliquis, ſine iuſta cauſa, & graui ratione, abeſſe poſſit. Qui verò in ea domo capitularis, ſed hoſpes degerit, in eius loci capitulo ius nullum habebit, nec illud ingredietur, niſi fortè vnanimiter ab alijs capitularibus deciſiuis fuerit ibi admiſſus. Quod autem d.13. R. n.2. d.14. R. n.4.

cele-

celebrabitur in illa domo, quæ generalis, vel prouincialis reſidentiæ eſt deputata, in illud Generalis ipſe, vel Prouincialis ad libitum ingredi poterunt, prout eis magis expedire videbitur. Eorum tamen Aſſiſtentes ingrediantur, & interſint, vt reliqui; ſicut etiam Secretarius, & Procurator generalis, ac Secretarius prouincialis.

3. Cæterum ſicut omnibus, & ſingulis, ſiue deciſiuis, ſiue conſultiuis capitularibus, qui in domo, vt aſſignati cōmorantur, locale capitulum conſtare debet; ita inſuper non minus quàm ex tribus illud legitimè conſletur oportet. Et ea propter duo ſaltem patres capitulares deciſiui ſuffragij, præter Præpoſitum, in vnaquaque domo aſſignentur. Quod ſi qua domus tales non habeat, totidem patres conſultiui ſuffragij antiquitate primi ſufficiantur; atque hi in capitulo locali deciſiuum ſuffragium ferant; ſi verò vnus dumtaxat deciſiuus, præter Præpoſitum, adſit, vnus ſolummodo alius antiquior conſultiuus vices deciſiui ſuppleat. Sed id totum, quod de conſultiuis ſtatuimus, ſeruari debebit vſque dum ad eam domum deciſiui capitulares aſſignati aduenerint: tunc enim ipſi conſultiui, mutuatum veluti ius relinquentes, deponent.

d. ſup. citat. n. 4:

4. Iam verò præſes in hoc capitulo, Præpoſitus ipſe erit, nihilque in eo, ſine eius licentia, & conſenſu, vel proponi à quoquam, vel tractari poterit.

d. cit. n. 4.

5. Circa actus verò peragendos ſeruentur omnia, quæ iam ſupra de actibus in communi ſunt præſcripta: in particulari tamen adiungimus, vt in dicendis ſententijs, & ſuffragijs ferendis, primi capitulares conſultiui, deinde deciſiui dicant. Præpoſitus autem liberè quidem dicere, quod ipſis licebit, ſinat. Ij verò neque cum Præpoſito, neque inter ſe immodeſtè, moroſè, pugnaciter ſe gerant: &, qui contra auſus fuerit, in eum ab ipſo Præpoſito animaduertatur. Quod ſi viſus fuerit arcendus à congreſſu cum cæteris capitularibus, res à Præpoſito cum ijſdem agitata ad Prouincialem deferatur, eiuſque reſponſum expectetur, & nihil interim Præpoſitus exequatur.

ſupra cap. 13.

C A-

CAPVT XXXII.

De Præpoſito locali.

1. IN ſingulis noſtrę Religionis domibus, cuiuſcumque generis exiſtant, ſinguli ſuperiores, qui Præpoſiti appellentur, ad eas immediata poteſtate regendas præficiantur: ij verò qui in domibus reſidentię Generalis, & Prouincialis deputantur, Vicepræpoſiti nominentur. In nouitiatibus autem ſeparatis, qui nouitiorum magiſter eligetur, eius loci Præpoſitus erit: de quo tamen hic non agimus, cum ſupra, quæ ad eum attinent, præſcripſerimus. p.2.c.10

2. Porro, vt valeat quis ad hunc Præpoſiti gradum aſſumi, has in eo qualitates requirimus, vt videlicet inſtituti proprij obſeruator exiſtat; Religionis zelo ferueat; doctrina præſtet, ſermonis gratia polleat, & ſaltem ſciat competenter verbum Dei proponere; & denique talis, qui verbo, & exemplo præeſſe poſſit, & omnibus ſpeculum, ac formam diſciplinę ſe præbeat, quique chorum, menſam, communia onera, laboreſque ſubire facilè queat.

3. Impedietur tamen hæc eius promotio per communia, quæ poſuimus, obſtacula. ſupra cap.9.

4. Electione verò complebitur, quæ quidem fiet in prouinciali capitulo ad triennium; infra quod tempus ſi quis Præpoſitus vel per mortem, vel alia deſinendi ratione deficiat, alius infra menſem eligetur (duraturus in officio ad ſequens vſque prouinciale capitulum) a Prouinciali de Aſſiſtentium voto, & interim vicarius eius vices agat. d.ſ.10. R. n.1.

5. Iam verò Præpoſiti auctoritas iuriſdictione conſtabit in omnes, & ſingulos religioſos in ea domo commorantes; & quidem plena, & abſoluta erit, ſubiecta tamen, & ſubordinata prouinciali, ac generali poteſtati: omnia poterit, quæ ei per noſtras leges fieri non prohibentur, vel quæ Prouinciali, aut Generali, ſiue etiam locali capitulo, aut locali conſultationi non reſeruantur.

6. Sed vlterius Præpoſiti munia erunt, paſtoris ſimul, & cuſtodis partes implere; coram ſubditis laudabilium operum exempla præbere; aſſidua vigilantia, quos habet commiſſos, contem-

templari; ſingulis neceſſaria corporis, & animæ prouidere; infirmis curandis infatigabili charitate intendere; puſillanimes roborare; deſolatos, & triſtes conſolari, omnes pietate patris complecti: defectus tamen, & errores correctionibus, & pœnitentijs, quando opus erit, reſecare, regularē denique obſeruantiam
d. 56. R. n. 2. & 3. & d. 49. n. 3. omni ſtudio promouere: & ea propter interdum de quotidianis erratis colloquatur, & ſubditos verbo Dei paſcat, & alat. Præſertim verò intelligat, ſui etiam muneris eſſe, erga Generalem, & Prouincialem obedientiam, & reuerentiam in ſubditis non verbo ſolum, ſed etiam exemplo conſouere. Demum, ſi eum prædicare contingat, domum nihilominus curet.

7. Ad quæ omnia rite præſtanda, præter communia, quæ
ſupra cap. 14. iam deſcripſimus media, hæc etiam alia maximè ei proderunt, videlicet, ſi occupationes omnes deuitet, etiam eas, quæ circa temporalia miniſteria minoris ponderis, à ſuis quæque officialibus peragenda, verſantur: quamuis eis ſuperintendere, &, quod libuerit, agere ſemper poterit; ſi exercitijs communibus, niſi grauiter impeditus, ſemper interſit; ſi communi menſa, communi victu, communi veſtitu vtatur; ſi orationibus ſubditos apud Deum adiuuet, & ſpiritum eis, vt perfectioni intendant, ac vires ſibi,
d. 19. R. n. 2. vt regiminis onus ſubeat, impetrare conetur; ſi diligentem, & ſollicitum ſibi conſtituat vicarium; ſi in rebus grauibus conſultorum conſilia adhibeat; ſi denique ſingulis miniſterijs idoneos coaptet miniſtros.

8. Cæterum quoad Præpoſiti durationem, & deſitionem attinet, in primis ad triennium, vt dictum eſt, eligetur, & hoc
d. 19. R. n. 1. toto temporis ſpatio in officio perdurabit; ſic enim melius Religionis bono conſuletur, & domus conſtanti regimine dirigetur. Verum, ne ipſi Præpoſiti adminiſtrationis onera, laboreſque eo temporis continuo curſu grauia ſentiant, eiſque ſuccumbant (immediatæ enim poteſtatis regimen laborioſum cenſemus) huic humanæ imbecillitati proſpicere volentes, ſancimus, vt ſinguli Præ-
p. 2. c. 10. poſiti cuiuſcumque domus (præterquam Præpoſitus nouitiatus ſeparati, de quo iam ſuo loco peregimus) in fine cuiuslibet anni eiuſdem triennij, quod percurrunt, ad Prouincialem, de ſtatu ſuæ domus ſcribentes, propriam ei imbecillitatem fateantur; atque ſimul Præpoſituræ onus ſponte, & liberè in ſcriptis renunccient: vt quid in domino ipſe ſalubriter expedire, & Religionis
d. 5. R. n. 11. bono magis congruere noſcet, exequatur. Sed verò, renunciatione habita, ſi Prouincialis eam acceptare nolit, ipſe ſolus hanc

non

non acceptandi facultatem habeat; ſi verò acceptare velit, id quidem ex ſe non poterit, ſed omnino Aſſiſtentium, & ſecretarij prouinciæ, necnon & duorum aliorum deciſiui ſuffragij patrum, ab ipſiſmet Prouinciali, Aſſiſtentibus, & ſecretario ex eadem reſidentiæ prouincialis domo eligendorum, vota tenebitur adhibere, & cum ipſis ſimul ad plura ſuffragia rem decernere. Decernentes inſuper vt non facile, neque feſtinanter huiuſmodi renunciationes admittantur, niſi rarò, & grauiſſima cauſa vrgente: in quo ſanè eorum conſcientias grauiter oneramus. Sed & quæ acceptatæ fuerint volumus, vt prouinciali capitulo præſententur, & cur eas admiſerint, rationes reddant; idemque acceptandi modus obſeruetur, ſi infra annum Præpoſitus renunciare velit. Denique niſi renunciatio acceptetur, alius de nouo Præpoſitus, qui in officio ſuccedat, nequaquam eligi poterit. Alijs tamen modis quilibet Præpoſitus deſinere poteſt, de quibus iam ſupra peregimus. d. 5. c. 8. 19. ſupra cap. 15.

9. Sed quæ hactenus de Prępoſito dicta ſunt, eadem de Vicepræpoſitis domorum reſidentiæ Generalis, & Prouincialis ſtatuta eſſe intelligantur: volumus enim, vt, quamuis Vicepræpoſiti nomine appellentur, in omnibus tamen velut Præpoſiti exiſtant, & eamdem, quam ipſi, ordinariam poteſtatem habeant; ita nihilominus Generali, vel Prouinciali ſubordinatam, vt eam ad libitum limitare ſemper poſſint. Verumtamen Vicepræpoſiti duratio vnius anni ſpatio concludetur. Ad annum enim deputari debebit: ſed in eodem officio ſingulis annis poterit confirmari: eius etiam promotio, vel confirmatio ad libitum vnius peragetur, vt cap. 10. diximus. d. 19. R. n. 2.

10. Vltimo tandem loco, ſi contingat Præpoſitum, vel Vicepræpoſitum in aliena domo ad negotia peragenda degere, volumus vt nullo modo eius loci Præpoſito ſubdatur; imo vrbanitatis gratia ipſe Superior hoſpes loci Superiorem præcedat, à quo ſolummodo ſocium petat, cum exire debebit, non tamen licentiam, & benedictionem. dec. cit. n. 4.

CAPVT XXXIII.

De Præpoſiti vicario.

poteſt ſimul eſſe conſultor domus. ſupra c. 9. n. 2.

1. NOn ſolum Præpoſitus, qui plena poteſtate præſit ſingulis domibus, præficiendus neceſſario erit, ſed alter etiam ſubſtituendus, qui vicarij nomine appellatus, iuxta traditam ſibi ab ipſo Præpoſito facultatem, eius vices agat, eumque in ſuo munere adiuuet.

2. Proinde ad hoc officium non dabitur electio, ſed Præpoſitus ipſe ad libitum, quem voluerit, ex deciſiuis capitularibus ſuæ domus, deputabit; ita tamen vt has qualitates habeat, nempe vt ſanus ſit, & viribus corporis præſtet, quibus onera portet; exercitia communia frequentet; charitate erga omnes polleat; obſeruantiæ zelo ferueat; dexteritate in agendo vigeat; & talis denique, qui omnimodam dependentiam à Præpoſito habeat.

ſupra cap. 9.

3. Obſtabunt autem ei, ne deputari poſſit, impedimenta omnia ſupra preſcripta, & precipuè illud de diuturna corporis egritudine.

4. Adhæc vicarij auctoritas nulla erit, niſi dumtaxat quam ei Præpoſitus impertiri voluerit; ſed eam ſane ſicut ad libitum communicare, ita etiam quocumque tempore limitare poterit, aut auferre: vnde mutuato veluti lumine ſplendebit, alieniſque viribus innitetur; atque hinc in nulla re ſe ingeret, niſi ad Prepoſiti preſcriptum, à quo in omnibus dependere tenetur. Nihilominus tamen, abſente Præpoſito, eius vices agat, ſed ita, vt in quibus fuerit ab ipſo Præpoſito vel limitata, vel ablata poteſtas, in illis auctoritatem non habeat. Si vero abſente Præpoſito quid vrgens accidat, vt ipſe Præpoſitus nequeat expectari, tunc de voto conſultorum prouideat; vel, ſi localis capituli conuocationem res poſtulabit, illud conuocet, & omnia efficiat, ac ſi Præpoſitus ibi adeſſet, cui tamen redeunti omnia referantur. Cæterum ſiue præſens, ſiue abſens Præpoſitus ſit, ſemper peculiarem locum vicarius habebit, qui immediatè poſt Præpoſitum, &, viſitationis tempore, poſt viſitatores erit.

5. Sed iam vlterius munia vicarij preſcribamus, que quidem, etſi ex tradita ſibi à Præpoſito auctoritate penſari, aut deduci debeant, præcipua tamen ratione hæc ei incumbunt, videlicet vt omnibus ſuperintendens omnibus prouideat; & expenſarum

curam, ad Præpoſiti præſcriptum, ſuſcipiat, & ſingulis pia charitate prouideat; vt officinas ſæpe viſitet, & quid in eis agatur conſpiciat, &, quod inordinatum ibi compererit, emendet: vt officiorum miniſterialium regulas ſæpe legat, eaſque à miniſtris obſeruari faciat; & cum quis nouiter ad aliquod domeſticum miniſterium deputatur, cum de ratione illud exercendi inſtrui curet; vt omnia loca domus circumſpiciat, &, quomodo res ſe habeant, obſeruet; vt horarum mutationes animaduertat, & omnia vt ſuo tempore peragantur diſponat; vt pœnitentiæ circulo præcipua ratione intendat; vt exercitia quotidiana, hebdomadaria, & annua ordinatè in vnum collecta habeat, & ea ſuo deſignato tempore peragere curet. Domus vt munda ſit; ianua vt ſuo tempore claudatur, & aperiatur; & huiuſmodi alia rite exequantur vigilanter intendat; præſertim fratres laicos peculiari beneuolentia proſequens inſtruat, doceat, moneat, eiſque de omnibus prouideat, curamque pia charitate gerat: denique reuerentiam, & obſeruantiam ſubditorum erga Præpoſitum tum verbo, tum exemplo promouere, & Præpoſitum ipſum in omnibus adiuuare, &, quæ ipſi commiſerit, prompta obedientia complere, ſui etiam muneris partes erunt. d. 10. c. g 19.

6. Sed vt in omnibus poſſit vicarius adiuuari, frequenti communicatione cum Præpoſito vtatur, leges noſtras ſæpiſſimè legat, & alia arripere media conetur, quæ ad ſuum munus conferre dignoſcit.

7. Iam vero vicarij duratio in officio ad annum excurret: ad hoc enim ſpatium deputabitur; quo tamen elapſo confirmari adhuc ad Præpoſiti libitum poterit. d. 19. R. n. 2.

8. Eius deſitio omnes complectitur modos, quos ſupra in communi preſcripſimus, ea, qua ibi ſtatuitur, ratione. ſup. c. 15

9. Addimus autem, quod vbi vicarius ab officio defecerit, vltra menſem alterius deputatio non differatur; verum, ſi vicarius menſes aliquot domo abſit, ne cogatur Præpoſitus alium vicarium eligere: at ſi vicarium, & Præpoſitum non per paucos dies abeſſe contingat, priuſquam abeant, deſignetur vicarius, qui domus curam gerat, donec primus reuertatur vicarius, quo præſente ceſſabit omnino ſecundus, niſi forſan primus vel ob ſimplicem amotionem, vel ob alios deſinendi modos defeciſſet. d. 19. R. n. 2.

10. Poſtremo quæ de Præpoſiti vicario dicta ſunt, eadem omnino de vicario Vicepræpoſiti dicta eſſe intelligantur; volumus enim vt non ſolum Præpoſitus, ſed Vicepræpoſiti etiam

in domibus reſidentiæ Generalis, & Prouincialis ſuos vicarios habeant; ſic enim gubernationis ordo facilius diſponetur: quandoquidem Pater Generalis vniuerſæ Religioni intendens, ac Prouincialis toti prouinciæ, vix locale regimen propriæ domus ad reſidentiam deſtinatæ ſubire valebunt: & ideo iure optimo decernimus, vt localis gubernatio eadem ratione in his reſidentiæ domibus habeatur, ac cæteris, quæ à Præpoſitis diriguntur.

CAPVT XXXIV.

De Præſide locali.

1. SI contingat Præpoſitum, & Vicarium ab officio ſimul quacumque ratione deficere, vel vtrumque ad paucos dies abeſſe, ne localis gubernatio ſuo interim capite careat; volu-
d.19. R. mus, vt primus capitularis deciſiui ſuffragij, ipſo facto, per ſuc-
n.4.& 5. ceſſionem, Præpoſiti vicem ſub nomine localis Præſidis gerat, & rem familiarem adminiſtret, necnon & iura, ac munia Præpoſiti eadem poteſtate exerceat, ac ſi Præpoſitus eſſet. Verum ne in Præpoſiti loco ſedeat: in ambulando tamen, in ſedendo, & in reliquis ad regimen ſpectantibus cæteros omnes ſacerdotes præcedat, etiam antiquitate primos.

2. Caueat autem ne cum Præpoſitus, & Vicarius à ciuitate abſunt, aliquid agat, quod ab ipſius Superioris voluntate ſenſerit alienum: ſed ea tantum exequatur, quæ ad eiuſdem Superioris aduentum commode differri nequeunt.

3. Adueniente verò Præpoſito, vel Vicario ſtatim ipſo facto à Præſidis officio deſinet, & ad ſuum ſe locum recipiet.

4. Cæterum ſicut in Præpoſiti, & Vicarij aut defectum ab officio, aut à ciuitate abſentiam, vt dictum eſt, primus capitularis ſuccedere debet; ita ſimiliter in eorumdem abſentia à domo, vel à communibus exercitijs aliquem eſſe oportet, qui ibi ſuo modo præſit; hicque erit primus ſacerdos ſecundi gradus,
d.2.c.g. ſiue capitularis, ſiue non capitularis, à quo in ipſis commu-
19. nibus exercitijs benedictiones, & licentias ſinguli religioſi, etiam capitulares ſiue conſultiui, ſiue deciſiui petent; & ab ipſo etiam ſigna, quæ opus erunt, fient; &, ne quid ibi inordinatum peragatur, intendet. Eodem modo abſentibus à domo Præpoſito, & Vicario, qui primus ſacerdos in ea remanet, præſit: &, ſi exire neceſſi-

ceſſitate compulſus quis debeat, etiam ſi capitularis exiſtat, ab eo licentiam, & benedictionem accipiat, ſicut etiam, & benedictionem, qui domum reuertitur; domui etiam intendat in ijs, quę neceſſaria erunt, & ad Superioris aduentum differri non poterunt: nullo tamen modo capitulum conuocare, aut conſultationem habere ei licebit.

5. Similiter ſiue in exercitijs communibus, ſiue in abſentia Præpoſiti, & Vicarij à domo, præſit, mortificare neminem poterit, aut quid aliud agere, quod Superioris voluntati non eſſe conſonum duxerit. d. citato.

6. Adhæc vltimo decernimus, vt qui ſacerdos ſimplex, vel capitularis in domo commoretur, vt hoſpes, nequaquam Præſes localis eſſe poſſit, ſiue in abſentia Prępoſiti, & Vicarij à domo, d. 19. R. vel exercitijs communibus, ſiue in eorumdem abſentia à ciuitate, ſiue etiam in vtriuſque ab officio defectu; huiuſmodi enim n. 5. munus ab aſſignatis ſolummodo religioſis exerceri debebit.

CAPVT XXXV.

De conſultoribus localibus, ac ſecretario.

1. ASſiſtentes, velut adiutores mente, & conſilio Patri Generali, ac Prouinciali tribuimus, & eadem ratione local Præpoſito conſultores cogimur aſſignare, quorum conſilijs, & voto facilè adiuuabitur.

2. In ſingulis ergo domibus, etiam in ijs, quæ reſidentiæ Generalis, & Prouincialis deſignantur, locales conſultores exiſtant ex ijs, qui ibi vt aſſignati capitulares viuunt.

3. Et quod ad numerum, & electionem attinet, volumus, vt ſi in domo, præter Præpoſitum, ſex ad minus decifiui capitulares aſſignati cohabitent, ex ipſis quatuor ſolummodo conſultores eligantur, eorumque electio à locali capitulo fiet, ſic tamen, vt capitulares conſultiui in ea ſuffragium non ferant. d. 12. R. n. 1.

4. Si vero quinque dumtaxat, vel minus quam quinque deciſiui capitulares aſſignati in domo commorentur, conſultorum electio non dabitur, ſed ipſo iure omnes illi deciſiui conſultores erunt. Sed ſi vlterius, quinque deciſiuis ibidem exiſtentibus, alius deinde ei domui aſſignatus adueniat, quatuor conſultorum electio fieri debet. Si autem ſex ibi ſint, ac proinde conſultorum d. 18. R. n. 1. 2. & 3.

ele-

electio fiat, abſente poſtea vno deciſiuo, qui conſultor non exiſtat, quintus, qui remanet, conſultor non erit, ſed quatuor tantum electi.

5. Denique ſi in domo capitulares deciſiui non reperiantur (quod non niſi ex graui neceſſitate contingere debet) tunc quatuor capitulares conſultiui, antiquitate primi ad conſultoris munus, ipſo iure, ſuccedant, iuſque deciſiuum ferent; quod ſi vnus, vel duo; vel tres deciſiui in domo adſint, tunc tot conſultiui antiquiores ipſo iure ſuccedent, quot ad quatuor conſultores conſtituendos deerunt; idque totum intelligatur, donec ad eam domum deciſiui aſſignati aduenerint, eo prorſus modo, quem ſupra de localis capituli patribus diſpoſuimus. Omnino ergo non minus, quam quatuor conſultores eſſe debent, nec vbi ſex, vel plures deciſiui habentur, plures quam quatuor eligi.

ſup.c.31.

6. Iam vero conſultoribus auctoritas nulla competet, ſed in propriæ antiquitatis loco ſubditi permanebunt, & dumtaxat cum à Præpoſito ad conſultationem vocabuntur, in ea ius ſuffragij habebunt.

7. Eorum etiam munia, ac ea, quibus poterunt adiuuari, media eadem ſint, proportione ſeruata, quæ de Generalis, & Prouincialis Aſſiſtentibus decreuimus.

ſup.c.19.

8. Duratio autem in officio ad illud ipſum tempus percurrat, quo Præpoſitus in ſuo munere perdurabit, quo ceſſante, nullatenus tamen eorum munus ceſſabit, ſed in eodem permanebunt, donec ad nouam Præpoſiti electioné, alia conſultorum electio à locali capitulo, eo, quo dictum eſt, modo peragatur, ſi ſcilicet ſex ad minus deciſiui in domo exiſtant.

9. Deſinere etiam quilibet poteſt infra tempus deſignatum per alios deſitionis modos, de quibus ſupra: cum autem quis conſultor ad aliam domum, vt aſſignatus transfertur, ſuum munus omnino ceſſat, & alius quamprimum vel electione, vel ſucceſſione, ratione habita ad deciſiuorum numerum, vt dictum eſt, ſubintret

ſup.c.15.

10. Sed iam vlterius de ſecretario in primis decernimus, vt is vnus, & idem ſit tam pro capitulo, quam pro conſultatione locali.

11. Eligetur à locali capitulo, non tamen in ea electione conſultiui capitulares ius ſuffragij ferent.

poteſt eſſe ſimul conſultor. ſup. c.9. n.3.

12. Eius munia erunt capitulis omnibus, & conſultationibus eiuſdem domus intereſſe; ſcripto excipere, & in libro

actuum

actuũ, quę ibi peragentur cõſcribere, ſi tamen notatu digna erunt: archiuij localis curam habere; libros gubernationi deſeruientes ordinare, & adſeruare, atque id genus alia; præſertim vero ad eum ſpectabit ſcripto mandare, quæ in domo acciderint notanda. d. 46. R. n. 1.

13. Duratio in officio ad annum erit, infra quod tempus per ſimplicem amotionem, ad libitum capituli localis, deſinere poteſt, ſicut etiam per alios, quos præſcripſimus modos.

CAPVT XXXVI.

De conſultatione locali.

1. PRæter locale capitulum in quibuſdam caſibus cogendum; localis etiam conſultatio inſtituetur, quæ frequentior eſſe debet, prout occaſio poſtulabit.

2. Habebitur quoties Præpoſitus conſultorum vota expreſſis caſibus tenebitur adhibere, & quoties etiam ipſe adlibitum velit. De ipſius autem auctoritate conuocari debebit: nec, ſine eius licentia ſi cogatur, aliquam vim habebit. Omnino tamen ſingulis menſibus, ſemel ab eo huiuſmodi conſultatio conuocetur, ad bonum regimen domus dirigendum. Quapropter congregatio de bono regimine dicetur: & in ea quomodo obſeruantia vigeat, quomodo regularis diſciplina ſe habeat, quomodo diuino cultui intendatur, & id genus alia, de quibus ad faciliorem vſum capita quædam præſcribere oportebit, diſcuti, & pertractari debebunt. d. 14. R. n. 1. & 4. ſup. c. 8. num. 7.

3. Perſonæ, quibus conſtabit, erunt ſolummodo Præpoſitus, vel Vicepræpoſitus, & conſultores, quibus ſimul in ea ius ſuffragij competet: ſecretarius etiam præſens ibi erit, non tamen ſuffragium feret, niſi fortè is idem conſultor exiſtat. Alij præter hos nullam in ea ingrediendi facultatem habebunt.

4. Auctoritas proinde plena, & abſoluta, quoad regimen domus, ad legum noſtrarum præſcriptum ei inerit: prouinciali tamen poteſtati ſubordinata, & ſubiecta.

5. Quo ad actus verò in ea peragendos, quas ſupra de actibus in communi leges diſpoſuimus, exactè ſeruentur. ſup. c. 13.

CA-

CAPVT VLTIMVM.

De procuratore domus, qui ad prouinciale capitulum deſtinatur.

1. INter eos, qui prouinciali capitulo intereſſe, iuſque ſuffragij ibi habere debebunt, procuratores erunt domorum hoc intuitu eligendi, de quibus agentes,

2. Decernimus primo, vt ex ſingulis domibus, prærerquam ex domo reſidentiæ Generalis, & Prouincialis, ſinguli procuratores eligantur; fietque electio die ſancto Epiphaniæ proximo ante capituli celebrationem. Peragetur à locali capitulo, in quo etiam ſacerdotibus non capitularibus actiuum ius ad eligendum competere volumus, ſed & modus in huiuſmodi electione ſeruandus talis erit, videlicet, vt ſuperior ſacerdotes omnes profeſſos ſuæ domus aſſignatos, & præſentes ſiue capitulares ſint, ſiue non, conuocet; vnà conuocatos moneat tempus eſſe eligendi ſacerdotem capitularem deciſiuæ vocis, qui nomine ſuæ domus prouinciale capitulum adeat: id vbi eis breuiter ſignificauerit, foras exeat Præpoſitus, neque vlla in re alia ſe ſe immiſceat. Illi vero tres dies habebunt integros, quibus ſacerdotes omnes, & ſimul etiam vicarius deliberent: his diebus ſi nihil conficient, neminem electum, neque eligendum eſſe ſtatuimus; conueniant autem omnes, quos diximus, nemo ſe excuſet.

non habet amplius locum ex d.3. c.g. 19:

3. Cum vero electus fuerit ſacerdos huiuſmodi, cæteris fratribus id palam fiat, ac locis prouinciæ ſignificetur per literas. Si ante tempus capituli ſacerdos electus, aut morte ſublatus fuerit, aut impeditus n orbo, vel etiam alia ratione defecerit, eligatur alius, quo dictum eſt modo.

4. Iam vero procuratoribus auctoritas nulla competet: ſed ſolummodo facultatem habebunt prouinciale capitulum ingrediendi, ibique ſuffragium ferendi.

5. Sed proinde eorum munia erunt, negotia domus humiliter in capitulo proponere; quæ ab alijs committuntur, vt ibi pertractentur, excipere; totius prouinciæ bono debita charitate proſpicere, & id genus alia.

6. Porro vt rectè ſe gerant, & legum noſtrarum præſcripto adhæreant, nec ab eis deflectant, efficax medium erit, illas ſæpe le-

legendo percurrere: ſic enim ad decernenda in capitulo, quæ obſeruantiam promouent, facilè diſponentur.

7. Ad capitulum congruo tempore adeant, itineriſque impenſas ſinguli ex ſingulis domibus, quarum nomine ei debent intereſſe, petant.

8. Demum abſoluto capitulo, eorum munus ipſo facto ceſſabit: ſed & alijs etiam modis, iuxta ea, quæ ſuo loco tradidimus, antequam ad capitulum veniant, deſinere, ac deficere, poſſunt.

CONSTITVTIONVM FINIS.

Atque ſic tandem conſtitutionum leges, legiſlatore Deo illuſtrante, expliciunt, in quibus perfectionis nobis meta proponitur, parantur media, dirigitur via, mores formantur ad Domini gloriam, Virginis laudem, & Religionis augmentum.

Præcepta
Lege aſſiduus vniuerſalia
religionis: eduntur nitidiora
typis:
inſiſte
virtuti ſedulus.
Beatus virtute lætaberis, bona vera lucratus,
conſtitutionibus optimis, regulis rectis inhærere,
gaudium eſt
bonum, atque tutum.

Sæpe legas, ſtudioque animi perlecta reuoluas;
Auxiliante Deo, ſponte ſequetur opus.

INDEX CONSTITVTIONVM CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM.

INDEX PARTIVM.

Pars prima. De fine, & inſtituto noſtræ Religionis, & de omnibus ijs, quæ vt media præſcribuntur. fol. 1.
Pars ſecunda. De perſonis quibus noſtra Religio conſiſtit. fol. 76.
Pars tertia. De domibus noſtræ Religionis. fol. 115.
Pars quarta. De gubernatione, & regimine noſtræ Religionis. fol. 135.

INDEX CAPITVM.

Primus numerus capitum, ſecundus foliorum eſt.

CAPITA PRIMÆ PARTIS.

De fine, & inſtituto, ad quod noſtra Religio deſtinatur. c. 1. fol. 2.
De mediorum varietate in vniuerſum, quibus noſtra Religio ad prædictum finem ſe dirigit. 2. 2.
De primo mediorum genere, quod ſolemnia vota complectitur in vniuerſum. 3. 3.
De paupertate, quæ primum eſt votum. 4. 5.
De caſtitate, & obedientia. 5. 8.
De quarto voto, ac iuramento. 6. 10.
De ſecundo mediorum genere, quod contemplationis exercitia, & alia continet, quibus immediate ad Deum dirigimur. 7. 12.
De oratione mentali. 8. 12.
De inſtitutione chori, ac de diuinis officijs. 9. 14.
De ſacramentorum pœnitentiæ,

& eu.

& eucharistiæ ſumptione, ac de ſacrificio miſſæ. 10.17.
De examine conſcientiæ, & quibuſdam alijs ad contemplationem ſpectantibus. 11. 18.
De eccleſiæ cultu, & ſupellectile ſacra. 12. 20.
De tertio mediorum genere, quod ea continet, quibus immediate ad nos ipſos ordinamur. 13. 21.
De regulari victus & veſtitus, & aliorum, quæ ad corpus attinent, ratione. 14.21.
De carnis maceratione, mortificationum exercitijs, ac pœnitentiarum vſu. 15.27.
De ſilentio obſeruando, & otioſitate, ac vagatione vitanda. 16. 29.
De modeſtia exteriore. 17.30.
De charitate inuicem habenda, & vniformitate ſeruanda. 18. 31.
De charitatis munere erga infirmos, & defunctos fratres. 19. 32.
De ratione domo egrediendi, ac iter agendi, necnon, & noſtros hoſpites excipiendi. 20. 35.
De ratione communicationis habendæ per literas. 21. 39.
De quarto mediorum genere, quod continet ea, quæ erga Superiores, Religionem, & eius ſtatuta ſunt gerenda. 22. 41.
De ijs, quę erga Superiores ſunt gerenda. 23. 41.
De ijs, quæ erga Religionem, eiuſque leges ſunt gerenda. 24. 43.
De quinto mediorum genere, quod continet, quæ ad noſtram erga proximos directionem attinent. 25. 45.
De receſſu à rebus, & negotijs ſecularibus. 26. 45.
De exercitijs vitę actiuę ad proximorum iuuamen aſſumendis in communi. 27. 48.
De ſacramentis proximo adminiſtrandis. 28. 49.
De verbi Dei miniſterio proximis exhibendo. 29. 52.
De alijs functionibus ad proximorum ſalutem aſſumendis. 30. 55.
De vltimo mediorum genere, quod literarum ſtudia, & earũ exercitia continet. 31. 58.
De ſtudijs ſcholaſticis, & primo de facultatibus perlegendis. 32. 59.
De perſonis ad ſcholaſtica ſtudia deputandis. 33. 60.
De locis ad ſcholaſtica ſtudia deſtinandis. 34. 63.
De exercitatione varia, qua ſcholaſtica ſtudia promouentur. 35. 64.
De alijs medijs, quæ ſcholaſtica ſtudia promouent, aſſumendis. 36. 67.
De collationibus conſcientiæ caſuum peragendis. 37. 72.
De priuatis cuiuſque literarum ſtudijs. 38. 73.
De ijs, quæ ad omnia noſtra

ſtudia conſequuntur. 39. & vltimo 74.

CAPITA SECVNDÆ PARTIS.

De perſonarum noſtræ Religionis varietate, & appellatione c. 1. f. 77.
De perſonarum ad noſtrum inſtitutum admiſſione in vniuerſum. 2. 78.
De prima perſonarum admiſſione, quæ eſt ad ingreſsũ Religionis. 3. 80.
De ſecunda perſonarũ admiſſione, quæ eſt ad habitum. 4. 86.
De tertia perſonarum admiſſione, quæ eſt ad ſolemnem profeſſionem. 5. 89.
De perſonarum educatione in ſpiritu in vniuerſum. 6. 91.
De prima perſonarum educatione in ſpiritu, quæ ad nouitios attinet. 7. 91.
De locis ad primam nouitiorum educationem deputandis. 8. 92.
De perſonis ad primum nouitiatum peragendum deſtinandis 9. 93.
De magiſtro, cui primæ educationis munus incumbit. 10. 94.
De impedimentis primæ educationi obſtantibus remouendis. 11. 96.
De actibus, & exercitijs ad primam nouitiorum educationem aſſumendis. 12. 99.
De ſecunda perſonarum educatione in ſpiritu, quæ ad profeſſos attinet. 13. 101.
De perſonarum dimiſſione, & primo de dimiſſione nouitiorum. 14. 105.
De profeſſorum dimiſſione. 15. 106.
De perſonarum gradibus, & ordine inter ſe. 16. 108.
De perſonis in particulari, & primo de ſimplicibus clericis, qui nondum ſacerdotio funguntur. 17. 110.
De perſonis, quæ ſacerdotio funguntur. 18. 111.
De perſonis ad laicorum ſtatum aſſumptis. 19. & vlt. 113.

CAPITA TERTIÆ PARTIS.

De varietate, & appellatione domorum, quibus noſtra Religio conſtat. c. 1. f. 115.
De receptione, ac dimiſſione domorum. 2. 116.
De ædificijs, & diſpoſitione domorum. 3. 117.
De perſonis ad cohabitationem domorum deſtinandis. 4. 118.
De rebus, & bonis domorum. 5. 120.
De exercitijs domorum. 6. 127.
De miniſterijs domorum. 7. 129.
De domibus nouitiatus ſeparatis. 8. 130.
De domibus ſtudiorum, ſeu collegijs. 9. 131.
De domibus exercitiorum. 10. 132.

De domibus receſſus. 11. & vlt. 133.

CAPITA QVARTÆ PARTIS.

De prima noſtræ Religionis gubernatione, quæ eſt per leges in vniuerſum. cap. 1. f.136
De legum noſtræ Religionis varietate. 2. 136.
De poteſtate leges noſtras condendi, deque earum declaratione, diſpenſatione, ac mutatione. 3. 138.
De legum noſtrarum obligatione, & vi. 4. 141.
De ſecunda noſtræ Religionis gubernatione in vniuerſum, quæ à perſonis exercenda erit. 5. 142.
De varietate gubernationis à perſonis exercendæ. 6. 142.
De perſonarum promotione ad gubernationem in vniuerſum. 7. 144.
De qualitatibus, quæ in perſonis requiruntur, vt ad gubernationem promoueantur: vbi de iure ſuffragij. 8. 144.
De impedimentis, quæ perſonarum promotioni ad gubernationem obſtabunt. 9. 148.
De varijs modis perſonas ad gubernationem promouendi, qui ſunt electio, deputatio, & ſucceſſio. 10. 150.
De actuali gubernationis exercitio à perſonis iam promotis habendo 11. 154.
De perſonarum auctoritate, quæ ad gubernationis exercitium prærequiritur. 12. 154.
De actibus, qui à perſonis in gubernationis exercitio peragentur. 13. 156.
De varijs medijs ad actualem gubernationis exercitium aſſumendis. 14. 159.
De gubernationis duratione, ac deſitione. 15. 164.
De ſingulis gubernationibus in ſpecie, & primo de gubernatione generali in vniuerſum. 16. 169.
De Capitulo generali. 17. 170.
De Præpoſito Generali. 18. 180.
De Aſſiſtentibus Præpoſiti generalis. 19. 184.
De conſultatione generali. 20. 186.
De ſecretario generali. 21. 187.
De procuratore generali. 22. 189.
De gubernatione prouinciali in vniuerſum. 23. 190.
De capitulo prouinciali. 24. 191.
De Præpoſito Prouinciali. 25. 196.
De Prouincialibus Aſſiſtentibus, & Secretario. 26. 193.
De conſultatione prouinciali. 27. 199.

De

De prouinciæ viſitatione, ac viſitatoribus. 28. 200.
De prouinciæ procuratoribus, qui ad generale capitulum deſtinantur. 29. 203.
De gubernatione locali in vniuerſum. 30. 205.
De capitulo locali. 31. 205.
De Præpoſito locali. 32. 207.
De Præpoſiti Vicario. 33. 210.
De Præſide locali. 34 212.
De conſultoribus, & ſecretario localibus. 35. 213.
De cōſultatione locali. 36. 215.
De Procuratore domus, qui ad prouinciale capitulum deſtinatur. 37. & vlt. 216.

IN-

INDEX RERVM,

quæ in prima, ſecunda, & tertia parte conſtitutionum continentur.

Primus numerus partium, ſecundus capitum, tertius eſt numerorum.

A

Abluendis faciei,& manibus, quibus vtendum. p.1.c.14. n.18.
Abſente ſuperiore, nullus egrediatur. 1. 20. 4.
Abſtinentia à carne ſecundis, & quartis ferijs per annum. 1. 15. 2.
Quando in dictis ferijs permittitur carnis eſus. ibidem.
Academia. Varię earum inſtitutiones. 1. 35. 11.
Ad externorum Academias, ſine Superioris licentia non eundum. ibid.
Academiæ inferiorum facultatum. n.12.
Acceptio perſonarum vitanda. 1. 18. 5.
Accepti rationes, vide Liber expenſarum.
Accipere aliquid ex alienis cubiculis, ſub graui pœna prohibetur. 1. 18. 3.
Accipere aliquid ex officinis quomodo liceat. ibid.
Actiua vita ſimul cum contemplatiua eſt finis noſtræ Religionis. p.1. c 1.
Actiuæ vitæ exercitia cap. 27.
Gratis exercenda. n.5.
Nulla ex his, in domibus receſſus, & nouitiatus ſeparati n.2.
Qualiter aliqua ex his permittantur. 3.11.3.& c. 8.5.
Actiuę vitæ qui deputatur, inſtructionibus muniatur. 1. 27. 4. & 5.
Adminiſtratio bonorum qualiter pertineat ad Præpoſitum. 3. 5. 12.
Plura de adminiſtratione bonorum, vide Bonorum.
Admiſſio ad Religionem, vide Hoſpitium.
Admiſſio ad annum probationis & habitum, vide Habitus.
Admiſſio ad profeſſionem, vide Profeſſio.
Aduentus tempore prohibetur recreatio. 1. 14. 19.
Adulterina clauis quibus debetur. 1. 4. 9.
Aedificia noſtrarum domorum. vide Domus.
Pro ædificij ſeparatione quantum debitum contrahere poteſt

poteſt ſuperior. 3. 5. 8.

Aedituus curat corpus defuncti per diem cuſtodiri. 1. 19. 10.

Aes alienum, vide debitum.

Aegrotus, vide infirmus.

Affinitas ſpiritualis de cuius licentia contrahenda. 1. 26. 4.

Alienatio bonorum qualiter facienda. 3. 5. 16.

Mobilia minimi valoris alienare poteſt ſolus Superior, ea exteris dando, vel permutando. ibid.

Si ſint notabilis pretij, non alienantur ſine Prouincialis, & Capituli conſenſu. ibid.

Titulo eleemoſinę nonniſi vnum aureum in ſingulis menſibus dare poteſt ſuperior. ibid.

Immobilia nō poſſint alienari, ſine conſenſu duarum partium capituli, conſultationis prouincialis, & aſſenſu apoſtolico, & cum euidenti vtilitate. ibid.

Alienatio redditus cum onere miſſarum non fiat. ibid.

Altaria, vide Eccleſia.

Ambitionis aditus præcluditur. 1. 6. 1. & 6.

Antiquitatis ordo in præcedentia, vide Ordo perſonarum.

Apoſtolicæ Sedis aſſenſus requiritur ad alienationem rerum immobilium. 3. 5. 16.

Arca, vide Scrinium, Capſa.

Arculæ in eccleſia pro eleemoſinis prohibentur. 3. 5. 5.

Archiuium. In archiuio domorum ſit liber, in quo ſint ad notata omnia bona. 3. 5. 10.

Argumenta reſumere poteſt, & quando, is, qui peragit priuata ſtudia in Collegio. 1. 39. 2. vide Diſputationes.

Armaria è ligno magni pretij prohibentur. 1. 4. 7.

Quibus liceat armaria claue obſerare. n. 9.

Aſſignatio domorum fit à Prouinciali. 3. 4. 3.

Domui aſſignatus. n. 5.

Aſportari quid poſſit à domo in domum. 1. 10. 11.

Aſſiſtentes ſedent poſt Vicariū ſupra alios in aliena domo. 2. 16. 4.

Aſſiſtentis generalis literas legit Generalis, & Aſſiſtentis prouincialis ipſe Prouincialis. 1. 21. 4.

Aſſiſtens generalis pręcedit Aſſiſtentes prouinciales. ibid. vide Conſultatio generalis, Prouincialis &c.

Auctoritatem Superioris nemo vſurpet. 1. 18. 4.

B

Balnea. Qualiter liceat ad ea proficiſci. 1. 19. 8.

Baptizare. Ad id ſufficit licentia Superioris. 1. 26. 4.

Benefactores. Pro ijs orandum in conſcientiæ examine. 1. 11. 2.

Pro ijs in ſpecie, qui ſabbato in menſa commemorantur. 1. 14. 6.

Eorum nomina adnotentur in inuentarijs bonorum. 3. 5. 10.
Benedictio petitur ante vſum rei nouæ. 1. 4. 6.
Eam petũt laici, abſoluto hymno matutino. 1. 9. 7.
Item qui à menſa ſurgunt, ea non abſoluta. 1. 14. 6.
Qui cubitum eunt. n. 16.
Quando flexis genibus petatur. 1. 23. 1.
Eam petunt, qui egrediuntur, vel redeunt domum. 1. 20. 4.
Non tamen in Eccleſia. ibid.
Eam petunt hoſpites, quamuis negotia tractent independenter à ſuperiore. 1. 20. 14.
Eam petit confeſſarius, antequam incipiat munus exercere. 1. 28. 4.
Vnus tantũ petit pro nouitijs, ante cubitum. 2. 11. 5.
Benedictiones non dat hoſpes. 3. 4. 5.
Biblia ſacra ferre poteſt, qui iter agit. 1. 20. 11.
Bibliotheca communis ſit in vnaquaque domo. 1. 38. 1.
Præfectus ad libros ſeruandos deputetur. ibid.
Clauſa ſit, & clauis quibus concedenda. ibid.
In eam deferuntur libri, qui à particularibus ſunt empti, poſt eorum diſceſſum. ibid.
Bidellus à Lectore deputatur. 1. 33. 4.
Biretum clericorum. 1. 14. 12.
Bona omnia ſunt communitatis, & non particularis Religioſi. 1. 4. 5.
Ea in cõmuni habere permittitur. n. 14.
Bona ad Eccleſiam pertinentia poſſunt eſſe pretioſiſſima. 3. 5. 2.
Bona immobilia, ideſt prædia, qualiter poſſidere poſſit domus exercitiorum. 3. 5. 3.
Annuos redditus eadẽ domus qualiter habeant. ibid.
Nihil poſſumus negotiatione comparare. n. 4.
Qualiter bona eleemoſynis cõparentur. n. 5.
Qualiter per donationem, vel conſimilem diſpoſitionem. n. 6.
Qualiter cum onere miſſarum. n. 7.
Qualiter cum debito, & cõtrahendo æs alienum. n. 8.
Bona mobilia in diſtinctis, proprijſque officinis ſeruentur. n 10.
Bonorum mobilium inuẽtaria, vide Inuentaria.
Bonorum adminiſtratio eſt penes Præpoſitum, medijs miniſtris. 3. 5. 11.
Bonorum diſtributio qualiter facienda à Præpoſito. n. 13.
Bonorum translatio. n 15. vide Translatio.
Bonorum alienatio, vide Alienatio.
Breuiario Romano vtimur. 1. 9. 2.

Breuiarium ſecum ferre poteſt itinerans. 1. 20. 11.

C

CAlceorum vſus. p. 1. 14. 14.

Campanæ pulſu ad exercitia communia conueniendum. 3. 6. 6.

Pulſus varij iuxta varietatem exercitiorum. ibid.

Iidem ſint apud omnes. ibid.

Nouos addere non licet. ibid.

Canonum ſtudium. 1. 33. 5.

Canonicæ horæ, vide chorus.

Capite detecto cum Superiore loquendum. 1. 23. 3.

Qui coram eo ſe cooperiant. ibid.

Capitulum. Literę ad id datæ, in ipſo aperiantur. 1. 21. 7.

Capitulum generale. Qualiter liceat omnibus ſcribere patribus Capituli Generalis. 1. 21. 3.

Ad ipſum pertinet domos recipere. 2. 2. 1.

Et etiam dimittere. n.4.

Poteſt remittere pœnam priuationis vocis incorrigibili. 2. 15. 3.

Capitulum Prouinciale determinat, quot nouitiatus coniuncti inſtituendi ſint in Prouincia. 2. 8. 5.

In eo eligitur Magiſter nouitiorum. 2. 10. 5. & 7.

Eius conſenſus exigitur ad emptionem prædiorum pro domibus exercitiorum. 3. 5. 3.

Determinat quantitatē cenſus pro onere miſſarum. n.7.

Ad eius præſcriptū typis mādatur ordo exercitiorum pro diuerſis regionibus. 1. 6. 5.

Conficit catalogum librorum, qui legendi ſunt in menſa. 1. 14. 5.

Determinat de habēda feſtiuitate in ſabbato poſt completorium. 1. 30. 3.

Ad Patres capituli, qualiter liceat omnibus ſcribere. 1. 21. 3.

Capitulum locale. Eius conſenſus requiritur ad acceptandum onus perpetuum miſſarum, & qualiter. 1. 4. 14.

Ad imponendum præceptum communitati. 1. 5. 8.

Ad imponendam pœnā cenſuræ. ibid.

Ad muſicam aſſiduè inducendam. 1. 9. 5.

Ad concedendum ſacella, vel templa conſtruenda, vel exornanda ſecularibus. 1. 12. 7.

Ad conſtruendam domum, vel eius partem. 3. 3. 1.

Ad contractionem debiti ſupra 50. aureos. 3. 5. 8.

Ad alienāda mobilia notabilis pretij. 3. 5. 16.

Cōſenſus duarum partium requiritur ad acceptationem oneris, quod ſacello imponitur. 1. 12. 7.

Item vt bona de domo in domum transferantur. 3.5.15.
Item vt bona immobilia alienẽtur. 3. 5. 16.
Relationem facit conſultationi prouinciali de congregatione ſecularium diſſoluenda. 1. 30. 4.
Qualiter admittat ad Religionem. 2. 3. 15.
Requiritur nouus Capituli cõſenſus, ſi recipiendus ad Religionem differat per duos mẽſes ingreſſum. n.17.
Qualiter conferat habitum clerico, & laico. 2. 4. 5.
Poteſt protrahere hoſpitiũ nouitiorum. 2. 4. 2.
Capitulo fit relatio nouitij in collatione habitus. 2. 4. 8.
Coram capitulo fit proteſtatio nouitijs in collatione habitus. n. vlt.
Per publica ſuffragia decernit circa habitum. n.8.
In capitulo omnino proponenda profeſſio poſt probationem. 2. 5. 2.
Qualiter differre poteſt profeſſionem. ibid.
Licentiam habere debet à Conſultatione Prouinciali ad admittendum ad profeſſionem. 2. 5. 4.
Capituli decretũ de profeſſione laici confirmatur à conſultatione Prouinciali. ibid.
Qualiter moneat incorrigibiles. 2. 15.
Capitulares. Eis licet loqui cum ſecularibus. 1. 26. 1.
Ab eis priuatim nouitius non petit habitum. 2. 4. 6.
Sunt immunes ab oneribus clericorum, ſuntque Sacerdotes ſecundi gradus. 2. 18. 2.
Capitularis monitio qualiter agenda. 2. 15. 3. & ſeqq.
Capitulum culparum, vide Culparum profeſſio.
Capſa communis. In ea ſeruentur pecuniæ ab alijs concreditæ. 1. 4. 11.
Qualiter ex ea huiuſmodi depoſita extrahantur. ibid.
Omnes pecunię in eam deferũtur. n.15. vide ſcrinium.
Carcer. In eo per ſex menſes detinentur, qui loquũtur cum monialibus. 1. 28. 5.
Carceris pœna qualiter imponatur incorrigibili. 2. 15. 3.
In carceribus detentos noſtri viſitant. 1. 30. 9.
Cardinales. Qualiter liceat cum eis comedere. 1. 14. 8.
Et cum eiſdem rheda incedere. 1. 20. 7.
Carnis abſtinentia feria ſecunda, & quarta. 1. 15. 2.
Carnis maceratio, vide Pœnitentiæ.
Caſus conſcientiæ. Deputantur vnus, vel plures in domibus exercitiorum ad danda reſponſa caſuum conſcientiæ cæteris. 1. 30. 6.
Sed non licet his deputatis ſcripto ſententiam aperire, ſine conſenſu conſultationis lo-

localis. ibidem.
De ſtudio caſuum conſcientiæ. 1. 37.
Biennio abſoluatur. Binæ in dies lectiones. Ad illud admittuntur, qui excluduntur à Philoſophia, vel Theologia. 1. 32. 5. & cap.33. 5.
Quales concluſiones caſuum conſcientiæ. 1. 35. 9.
Collationes caſuũ conſcientiæ vbi, quando, & qualiter habendę. 1. 37. 2.
Ipſe Superior ijs debet intereſſe. ibid.
Laici non debent intereſſe. 3. 6. 4.
Clerici profeſſi non tenẽtur intereſſe. ibid.
Caſtitas. Eius votum ſolemne. 1. 5. 1.
Catinum fictilem, & rudem omnes habeant. 1. 14. 18.
Cella ſit ſine ornamentis. 1.4.7.
Claue obſeretur. n.9.
Eius adulterinam clauem habeant Superior, & Vicarius. ibid.
In alienas cellas non licet ingredi. 1. 16. 7. vide Cubiculum.
Cenſus perpetuus requiritur pro muſica continua. 1. 9. 7.
Ad debitum perpetui cenſus, quis conſenſus requiratur. 3. 5. 8.
Cenſus cum onere miſſarum inalienabilis eſt. ibidem num 16.
Cęremoniæ, vide ritus.
Cæremoniæ ſeculares in literis prohibentur. 1. 21. 8.
Cęremoniarũ magiſter. 3.7.2.
Charitas. De ea inuicem habenda. 1. 18.
De charitate erga infirmos, & defunctos. cap.19.
Chirothecis qualiter vtamur. 1. 14. 14.
Chorus. Eius inſtitutio. 1. 9.
Sit quotidianus in domibus exercitiorum, receſſus, & nouitiatus. n.3.
Quibus diebus in collegijs. ibid.
Qualiter horę canonicę in choro diſtribuantur. n.4.
Cantandi modus. n.5.
Quibus ritibus. n 6.
Ad chorum quando veniunt laici. n.7.
Qualiter ſe gerit, qui, inchoato officio, venit ad chorum. ibid.
Ab eo nemo diſcedit, non abſoluto officio. ibid.
In eo vtimur breuiario Romano. n.2.
In collegijs qualiter chorus inſtituatur. 1. 36. 3.
In domibus exercitiorum, quãda ſcholaſtici ad chorum veniunt. ibid.
Quo tempore, & qua diſtributione horæ canonicæ in choro ſint perſoluendę. 3. 6. 7.
Ad quas preces tenentur laici loco officij diuini. c.vlt.
Cilicium circulare. 1. 15. 3.
Cingulo coriaceo vtimur. 1. 14. 12.

Circularis oratio, vide Oratio.
Circularis reſidentia confeſſariorum in eccleſia.1.28.8.
Circulares pœnitentiæ; vide Pœnitentiæ.
Clauis adulterina ſit penes Superiorem, & Vicarium. 1.4.9.
Claue cubicula obſerentur.ibidem.
Claue qui obſeret capſas. ibidem.
Claues capſæ communis à tribus ſacerdotibus cuſtodiantur. 3. 5. 11
Claues domus nocte ſint penes Superiores. 1. 20. 2. vide ianua.
Clericus quilibet emittit quartũ votum. 1.6.1.
Et iuramẽtum ſimplex circa dignitates regulares.n.2.
Quibus diebus teneatur cõmunicare. 1.10. 2.
Miſſæ quotidie interſit n.5.
Ante cubitum benedictionem petit. 1.14.16.
Sexies officium defunctorum recitet pro defuncto propriæ domus, ter pro ijs, qui ſunt alienæ domus.1.19.10.
Si pernoctare debet extra domũ,detur ſacerdos ſocius. 1. 20. 8.
Clericus prænomine frater appellatur. 2.1. 7.
Conſtituitur in ſecũdo nouitiatu, niſi Pater Generalis aliter velit. 2 13.2.
Alia de ſecundo nouitiatu clericorum, vide ſecundus nouitiatus.
Clerici eſſe debent in omni domo exercitiorum. 2. 13. 4.
Quando è primo nouitiatu ad ſecundum, & ex hoc ad collegium tranſeant. ibid.
Ordo præcedẽtiæ inter clericos 2. 17. 2.
Quãdo ad ordines ſint promoti. ibid.
Munia, & onera clericorum. n. 3.
Non ſint in domibus receſſus, ſed in omnibus alijs. 3. 4. 2.
Non tenetur intereſſe caſuum conſcientiæ collationi.3.6.4.
Aliqui profeſſi clerici ſint in nouitiatu ſeparato. 3. 8. 3.
Clericorum itinerarium recitandum. 1. 20, 12.
Coadiutor. De coadiutore magiſtri nouitiorum.2.10.6.
In nouitiatibus ſeparatis idem ſit vicarius à magiſtro deputatus, ibid.& 3. 8. 3.
In coniũctis nouitiatibus etiã à magiſtro deputatur, conſentiente Præpoſito. ibid. Eius qualitates. ibid.
Poteſtatem recipiet à magiſtro. ibid.
In nouitiatibus ſeparatis liberè à magiſtro amouetur; in coniunctis fiat,non diſſentiente Præpoſito. ibid.
In nouitiatibus coniũctis conſtituatur ſecundus coadiutor. ibid.

Occupationes extra nouitiatū ei non tradantur, neque ipſe frequenter extra nouitiatum egrediatur. 3. 11. 1.
Quando ſit cōſtituendus coadiutor in ſecundo nouitiatu. 3. 13. 7. Is à Superiore deputetur. ibid.
Coadiutor in nouitiatibus ſeparatis, confeſſionibus non incumbit. 3. 8. 5.
Cœna. Vide menſa. Poſt cœnam recreatio Vide Recreatio.
Cœmeterium ſit propè eccleſiam. 3. 3. 1.
Cognomina non mutantur. 2. 1. 7.
Collare. Vide Veſtitus.
Collationes ſpirituales quando habendæ. 1. 11. 4.
Collationes caſuum conſcientię. Vide Caſus conſcientiæ.
Collegium. Qualiter chorus in eo inſtituatur. 1. 9. 3. & c. 36. 3. & p. 3. c. 9.
Quæ feſta in eo ſint primæ claſſis. 1. 9. 3.
Qualiter in collegijs circulares pœnitentiæ inſtituendę. 1. 15. 3
Prouincialis decernit, an in ijs eſſe debeat circularis reſidentia confeſſariorum. 1. 28. 8.
Parochiæ cura qualiter in ijs admittenda. 1. 30. 10.
Ad noſtra collegia ſeculares, & externi admittuntur, non tamen ad facultates inferiores. 1. 33. 6.
Collegiorū in ſingulis prouincijs inſtitutio. 1. 34. 1.
Principaliter ſint pro noſtris, externi tamen admittantur. ibid.
In eis facultates inferiores tradi poſſunt. ibid.
In ijs habeatur oratio in renouatione ſtudiorum. 1. 36. 5.
In collegio per duos annos manere quis poteſt, abſoluto ſtudio, de licentia conſultationis Prouincialis, ad priuata ſtudia 1. 39. 2.
In collegijs nō ſit nouitiatus 2. 8. 3.
Fit ſecundus nouitiatus. 1. 13. 4.
In ſingulis prouincijs tot ſint collegia, quot ſunt neceſſaria ad noſtros ſcholaſticos. 3. 9. 1.
Sint intra vrbem, ibid.
Annuis redditibus dotētur. ibidem.
Qui in ijs habitent. 3. 9. 2.
Nemo in ijs viuat, qui ijs non deſeruiat, niſi ex licentia conſultationis Prouincialis. ibid. Exercitia collegiorum. ibid. n. 3.
Quę pœnitētiæ circulares? Ieiunia communia eadem, ac in alijs domibus; communis flagellatio, aliæque obſeruantiæ domorum. ibid
Colloqui vide Loqui.
Comedere extra menſam quibus liceat. 1. 14. 7. & 1. 29. n. 7. vide menſa.
In domibus ſecularium quādo, & cur liceat comedere. 1. 14. 7.
Cum Cardinalibus, Epiſcopis, Nun-

Nuntijs, & Religioſis qualiter liceat comedere. ibid.
Comes, vide Socius.
Communio. Vide Euchariſtia.
Computa, vide Liber expenſi, & accepti.
Commiſſionales literæ ſuperioribus reddantur poſt earum vſum. 1. 20. 10.
Confabulationes prohibentur. 1. 16 5.
Confeſſio ſacramentalis. Eam clerici, & laici ſemper præmittant communioni. 1. 10. 3. Sacerdotes bis in hebdomada confiteantur. ibid.
Confeſſio generalis præmittẽda ſumptioni habitus. 2. 4. 3.
Nouitij bis in hebdomada cõfiteantur, & cui. 2. 2. 2.
Iidem infra mẽſem poſt ingreſſum confiteantur generaliter. ibid.
Confeſſiones ſecularium, à quibus audiendæ in nouitatibus cõſeparatis p. 3. c. 8. n. 5.
Confeſſiones non poſſunt audiri in domibus receſſus, niſi ex graui cauſa, & cum licentia Generalis, aut Prouincialis. 3. 11. 3.
Confeſſarius. Quot confeſſarij pro noſtris deputandi. 1. 10. 4.
Sine Superioris licentia nemo alijs confiteatur. ibid.
Licentia alijs confeſſarijs confitendi raro concedenda. ibid.
Superior ſibi deligat cõfeſſariũ. ibid.
Non audiãt confeſſiones, niſi in locis aſſignatis, ſacerdotum tamen poſſunt audire confeſſiones in proprio cubiculo. 1. 10. 5.
Ex confeſſarij licentia ſecretæ pœnitentiæ agendæ. 1. 15. 5.
Cõfeſſarijs liceat cum ſecularibus loqui. 1. 26. 2.
Confeſſariorum qualitates. 1. 28. 2.
Nouitij quãdo exponi poſſunt ad confeſſiones audiendas. ibid.
Scripta licentia habeatur à Generali, vel Prouinciali, vt quis exponatur. 1. 28. 3.
Nemo impetret licentiã ab ordinario, ſine præuia Prouincialis. ibid.
Præcedere debet examen. n. 4.
Petit benedictionem à Superiore, qui primo incipit confeſſiones audire, ibid.
Iuniores non admittãtur ad cõfeſſiones mulierum n. 5.
Monialium cõfeſſiones audire qualiter liceat, ibid. In quo loco n. 6. Qualiter n. 7.
Prouincialis curet, vt in omnibus eccleſijs ſit ſufficiens numerus confeſſariorum n. 8.
In eccleſijs ſit circularis reſidẽtia confeſſariorum, & qualis. ibid.
Quibus diebus omnes confeſſarij aſſiſtant. n. 9.
Confeſſarij ſecundi nouitiatus. 2. 13. 7. Confeſſarij primi nouitiatus. n. 2.

Con-

Confeſſionale in locis patentibus collocetur, vt confeſſarius, & pœnitens videantur. 1. 28. 6.
Singula confeſſionalia ſint pro ſingulis confeſſoribus. ibidem.
Confidentiæ qualiter admittantur. 1. 4. 12.
Confirmari conſueuit magiſter nouitiorum. 2. 10. 6.
Concionator. Quādo concionatoribus liceat comedere in proprio cubiculo. 1. 14. 7. Eis licet loqui cum ſecularibus. 1. 26. 2.
In eorum cubiculum alijs licet ingredi die concionis. 1. 16 7.
Concionatorum qualitates. 1, 29. 1.
Prouincialis iuſſu examinandi prima vice. ibid.
Impedimenta. n. 3.
Concionādi facultas à Prouinciali datur n. 4.
Publicas cōciones priuata exercitatio præcedet. ibid.
Conſtituitur, qui incipiētes inſtruat, & moneat. ibid.
Modus in concionibus ſeruandus. n 5.
Eūdem ritum in ijs omnes ſeruent. ibid.
Potius in noſtris, quam in aliorum eccleſijs conciones habēdæ. n. 6.
Enitendum, vt in ijſdem conciones non deſint in quadrageſima, aduentu, & feſtis diebus. ibid.
Qui cōcionatur in alia eccleſia, ad domum noſtram, ſi poteſt, redeat, expleta concione. ibid.
Concionatores per loca diſtribuere, Prouincialis eſt. Ibid.
Vt cōciones quadrageſimales, vel aduentus alicubi inducantur, pendet à conſultatione Prouincialis ibid.
Concionatori, qualiter comes in noſtra domo, & extra aſſignatur. 1. 29. 7. Concionatoris exemptiones. ibid.
Concionis munus gratis exercendum. n. 8.
Quæ eleemoſynæ titulo dātur, ad quam domum pertineant. ibid.
In concione eleemoſynæ pro alijs non petantur, niſi de licentia Superioris, qui eas etiā diſtribuit. n. 9.
Concionator qualiter ſit ſacerdos ſecundi gradus. 2. 18. 2.
Concionum occupatio non eſt iniungenda lectori. 1. 36. 4.
Concionator nō tenetur intereſſe collationibus caſuum conſcientiæ. 1. 37. 2.
Plura. Vide titulo, Lectio ſacra.
Concluſiones, vide Theſes, Diſputationes.
Congregationes ſecularium qua facultate, & in quibus domibus inſtituendæ. 1. 30. 4.
Variæ ſint pro varietate perſonarum. ibid.
Præfectus deſignatur à Præpoſito

to cum conſultoribus, ibid.
Regularum immutatio pendet à Prouinciali, ibid.
Prefectũ qualiter ſuperior amouere poſſit, ibid.
Diſſoluuntur de voto conſultationis Prouincialis, ibid
Congregatio circa ſtudiorum profectum. 1. 36. 7.
Conopei vſus prohibetur. 1. 4. 8.
Conſtitutiones in communi ne legantur. 1. 24. 7.
Soli capitulares eas habeant, ibid.
Ipſi alijs ne commodent, ibid.
Conſultatio Generalis. Eius votum requiritur, ad hoc vt Generalis imponat præceptum communitati. 1. 5. 8.
Ad inducendam muſicam perpetuã ſine certo cenſu. 1. 9. 5.
Ad iniungendum longinquum iter. 1. 24. 9.
Ad impetrandum priuilegium Romæ. 1. 24. 3.
Ad admittendum ſeculares, vt nobiſcum conuiuant. n. 7.
Ad ſuſcipiendam curam Parochiæ in collegijs. 1. 30. 10.
Ad mutãdum exercitia ſcholaſtica. 1. 36. 4.
Ad recipiẽdas nouas domos. 3. 2. 1.
Ad transferendos Religioſos de domo in domum in ſex menſibus ante capitulum. 3. 4. 4.
Ad diſtribuenda bona relicta Religioni. 3. 5. 6.
Confirmat decretum conſultationis prouincialis de inualiditate profeſſionis ob impedimentum irritans. 2. 15. 2.
Confirmat ſententiam contra incorrigibilem. n. 3.
Quid poſſit, vel quid debeat agere in cauſa incorrigibilitatis. ibid. & ſeqq
Nõ poteſt ſine conſenſu capituli localis transferre bona vnius domus ad aliam. 3. 4. 15.
Conſultatio Prouincialis. Requiritur eius votum, vt Prouincialis imponat præceptum obedientiæ communitati. 1. 5. 8. Idem de cenſura.
Ad inducendam muſicã continuam. 1. 9. 5.
Ad litigandum cum externis. 1. 26. 6.
Ad recipiendos ſeculares in noſtris domibus. n. 7.
Ad hoc, vt quis ſit confeſſarius ordinarius monialium. 1. 28. 5.
Ad introducendas cõciones in quadrageſima, & aduentu. 1. 29. 6.
Ad faciendas miſſiones n. 8.
Ad adminiſtrãdam Parochiam in collegijs. n. 10.
Ad amouendum lectorem à munere, non expleto curſu 1. 33. 2.
Ad amouendum Prefectum ſtudiorum, ante annum. n. 3.
Ad denegãdum ſtudium Philoſophiæ, vel Theologiæ. n 5.
Ad hoc, vt ſcholaſtici choro deputentur. 1. 36. 3.
Ad amouẽdum aliquem à ſtudijs n. 6.

Ad auferendum ab aliquo manuſcripta. 1. 38. 4.
Ad acceptandum onus perpetuum miſſarum. 1. 4. 14.
Ad concedendum ſecularibus, vt conſtruant, vel ornent templum, vel ſacella. 1. 12. 7.
Ad acceptandum onus in fundatione ſacelli; ibid.
Ad determinandum, an domus habeat numerum ſufficientem pro pœnitentijs circularibus completis. 1. 15. 3.
Ad hoc, vt externi ſepeliantur cum noſtris n. 10.
Ad admittẽdas congregationes ſecularium. 1. 30. 4.
Ad eaſdem diſſoluendas. ibid.
Concedit, vt quis peracto ſtudio maneat per duos annos in collegio. 1. 39. 2.
Diſpenſat in impedimentis ſecundi generis ad ingreſſum ad religionem. 2. 3. 6.
Cõtrahit hoſpitium nouitiorũ, ſed non infra menſem. 2. 4. 2.
Confirmat decretũ capituli de collatione habitus laicis. 2. 4. 5.
Et decretum de profeſſione eorundem. 2. 5. 4.
Requiritur eius conſenſus, vt Prouincialis neget capitulo licentias de conferenda profeſſione. 2. 5. 4.
